B* 7. 33

ANTI-PARÆVS:

siue

DETERMINATIO

de Iure Regio *habita* Cantabrigiæ *in Scholis Theologicis*, 19. April. 1619. *contra* DAVIDEM PARÆVM, *cæteroſq;* Reformatæ *&* Romanæ *Religionis* ANTIMONARCHAS, à DAVIDE OVVEN *Monenſi*, Theologiæ Profeſſore, Honoratiſſ. Comiti de *Holdernes* à Sacris.

Diſcuſſione propoſitionum eiuſdem PARÆI *è re nuper natâ paulò auctior.*

¶ *Latronibus veſtigandis per Vniuerſas prouincias militaris ſtatio ſortitur; in* MAIESTATIS REOS *&* PVBLICOS HOSTES *omnis homo* MILES *eſt: ad Socios, ad Conſcios vſq; inquiſitio extenditur:* Tertull. in Apolog. cap. 2.

BIB. CANT. ACAD.

Ex Officina *Cantrelli Legge*, Academiæ *Cantabrigienſis* Typographi.
1622.

1300.00

SERENISSIMO *POTENTISSIMOQVE* PRINCIPI,

IACOBO,

Dei gratiâ *Mag. Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Monarchæ,* Magno, Pio, Inclyto Fidei *Defensori.*

SERENISSIME POTENTISSIMEQVE REX:

COmmunem Deorũ causam ago, Maiestatem cœlitùs delatã vindico, Ius Regum omnium à piaculo sartum tectum cupio. Tu stas in primâ acie, Rex Inuictissime, sub te plures stant cum duces strenui, tum milites veterani, quorum manu perire indignus est Iesuita, indignus & Puritanus, Qui zelo

præpostero abrepti, & fanatico furore perciti sunt; & igne, non dicam fatuo, accensi, sed quo nullus arsit Sacerdos pius, Propheta entheus, Episcopus catholicus, Christianus, Orthodoxus, subditus fidelis; Nullus. Homines isti ad nequitiam docti, occultare se norunt in principijs sub laruâ fidei & religionis, donec se in animos multitudinis & ignaræ plebis insinuauerint; Tunc verò lethale virus & venena lurida audacter euomunt. Dominationes spernunt, Potestatibus obloquuntur, effrenatâ, ne dicam horrendâ dicacitate Regiam Maiestatem proscindunt, & montem sacrum pedibus illotis, ad publicam calamitatem conculcant. Planè cœcus est, qui non videt quantâ cum humani generis pernicie per omnes prouincias grassatur novum de Regibus coercendis dogma: hinc studia ciuium, Subditorum Coniurationes, secta fanaticæ, virorum illustrium strages, Principum cædes, Regum proscriptiones, fidelitatis violatio, fidei deniq; desertio, ad interitum pœne Religionis emanârunt, adeo vt mutata quodam modo totius naturæ facies appareat. *David* ego, Domini mei Regis

Regis puer, non hastâ, gladio, aut clypeo, sed fundâ pastorali, lapidibusq; è torrenti in via selectis biceps hoc monstrum aggredior; de successu certus cum nato nemini bene cesserit, Regum Capitibus insultare, diuinæ Ordinationi resistere, aut à Deo fundatam potestatem violare.

Qui mihi dedit velle Deus, dabit idem vires; illius est pugna, erit victoria. Quicquid est opellæ, Tibi, Regum optime, do, dico, addico, meq; ipsum vnâ humillimè: Deus Opt. Max. Maiestatem Tuam, Omnesq; Christos Domini à bicipitis bestię morsu, æternùm seruet incolumes.

Cantabrigiæ ex Aulâ Clarensi,
vlt. Augusti.

Maiestatis tuæ

Subditus Infimus,

DAVID OWEN.

AD

Lectorem verè Christianum, & fidelem Subditum Præfatio.

POpulo Israelitico (postquam tenebras Ægyptiacas, & deserti pericula euasisset) infesti erant ab oriente Ammonitæ, *ab occidente* Philistæi, *à septentrione* Assyrij, *à meridie* Ægyptij. *Ita & hodiè vndiq; impugnatur grex fidelium. Sæuit* tyrannis, *serpit* hæresis, *peruagatur* schisma, *blanditur* hypocrisis, *grassatur* impietas *aduersus fidei soliditatem, charitatis feruorem, & morum integritatem; ad seducendos, si fieri potest, etiam Electos Dei. Quos Regum custodiæ concredidit Christus.* Rex custos *contra hostiles incursus, hæreticam perfidiam, schismaticam diuulsionem, blanditias hypocriticas, & morum corruptelas,* legibus munit, & armis tuetur Ecclesiam. *Ministri dolosi nullum non mouent lapidem, vt Regem excludant à cu-*

rà

rà commissà: quod facere conantur Regum authoritatem negando in Ecclesiasticis: Potestatem adimendo in Politicis: Primatum vsurpando in vtrisq;.

Authoritatem negant Ecclesiasticam.

PAPISTA.

Christiani debent esse subiecti Regibus, tanquam præcellentibus: verum id quidem: sed in ijs rebus tantùm, quæ ad statum Politicum pertinent. *Bellarm. de Pontif. lib. 1. c. 7.*

DISCIPLINARIVS.

Ciuilis potestas ad res terrenas, & caducas refertur; Ecclesiastica verò ad spiritualia, & quæ ad cultum Dei pertinent. Vnde Ecclesiastica potestas Ius Poli, Ciuilis autem Ius Soli nominari solet. *Bucan. loco 43. sectione 5.*

Humi repat Maiestas, vt Magistri nostri spirituales in nubibus constituti eam infra se positam conspiciant; & veluti profanam despiciant. *Aliter sapuit* Augustinus: Imaginem Dei habet Rex, sicut Episcopus Christi: *in Quæst. mixtim. 25.* *Imò tantò excellentius Diuinam exprimit imagi-*

imaginem, quanto sublimior gloria, & illustrior Maiestas Iudicis quàm Sacerdotis. Vestram fidem, viri boni! Qualis erat potestas veterum Imperatorum? Qui Diuali iussu Ecclesias dicârunt, Episcopos investiêrunt, Clerum exemêrunt, Synodos conuocârunt, conuocatis præsederunt, decreta confirmârunt, fidem stabiliêrunt, hæresin profligârunt, Clerum & Populum ad Dei cultum compulêrunt, desertores officij castigârunt, omniáq; ad exercitium religionis, & modum externi cultus legibus statuerunt: *idq; potestate legitimâ; vt testatur* Socrates in Prolog. l. 5. *& disertè scripsit* Augustinus, de Ciuit. Dei lib. 5. c. 24. *Imo ad rerum humanarum tutelam, & Ecclesiæ necessitatem: vt ipse fatetur Pontifex:* Res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & Regia, & Sacerdotalis defendat authoritas, *vt* Leo *Papa* 1. *ad* Pulcheriam Augustam.

Adimunt Potestatem Ciuilem.

PAPISTA.

Principes supremi sunt legibus obno-

xij omni iure: Naturali, Nationali, Positiuo. Et potest Resp. authoritatem Principi ad bonum publicum datam, si malè administrauerit, repetere, & Regem exauctorare: *Robertus Parsonus* in *Dolemon.* part. 1. c. 4.

DISCIPLINARIVS.

Superioris Magistratus tyrannis, aut latrocinia coerceri debent ab Ordinariâ potestate; qu e est in qualibet Politiâ vel inferior Magistratus, vel Consensus populi. *D. Paræus in Epist. ad Rom. c.* 13. *quæst.* 4. *propos.* 2.

Primatum vsurpant in vtrisq;.

PAPISTA.

Iudicium de Rege pertinet ad Pontificem: cui est commissa cura Religionis. Ergo, Pontificis est iudicare Regem esse deponendum, vel non. *Bellarm. de Pont. l.* 5. *cap.* 7.

DISCIPLINARIVS.

Pro Christi tribunali erectum est in Ecclesiâ Presbyterium. Quis tandem Reges, & Principes ab hac dominatione non humanâ, sed diuinâ exemerit, quin

læsæ

læsæ Christi Maiestatis reus constituatur. *Beza de Presbyt. pag. 116.*

Facessant posthac Reges ab omni religionis cura: faciet illud Pontifex in regno suo, Presbyterium in dominatu suo. Si falcem supposuerit segeti Pontificis, aut herba Presbyterij Princeps quis Secularis, non feret impunè: Diras sentiet Pontificias, & Consistoriales. Popellus errore fascinatus hic succurret Pontifici, illic Presbyterio; vbiq; occursabit Regi: vt discat miser

Ponere & deponere secures
Ad arbitrium popularis auræ.

Cum mihi ante annos 4. ex Academiæ nostræ instituto post susceptum Doctoratus gradum quæstionem in Theologiâ controversam determinare incubuit; officij mei ratio postulauit, vt solutam, & absolutam Regum potestatem, contra Dauidem Paræum *cæterosq; seculi nostri Anti-monarchas asserere. Quam assertionem, cum statueram penes me tantùm deinceps habere, prouocante iuvenculi cuiusdam Oxoniensis, temeritate, si priùs ad limam seueriorem exigeretur, & fusiùs aliquanto explicaretur, opportunè typis signari posse existimaui, vt publici iuris fieret.*

Testor

Testor Conscientiam tuam, qui Christianus es, & subditus fidelis, num usurpata haec in Christos Domini tyrannis spiritum veritatis sapiat? num non igni mandanda, & vnanimi Christianorum sibilo excipienda sit,

——Discors concordia fratrum?

Sanctius olim Patres, & magis ad normam diuinæ legis, & Euangelij regulam senserunt, & scripserunt.

Tertullianus: Deus est solus, in cuius solius potestate sunt Reges, à quo sunt secundi, post quem primi: super omnes homines, ante omnes Deos: *in Apologet.*

Agapetus: Essentiâ corporis æqualis est cuilibet homini Imperator, potestate autem dignitatis cunctorũ pr i fidi Deo. Non enim habet in terris se quenquã altiorẽ. Oportet igitur vt Deum, non irasci; vt mortalem, non efferri. Nam etsi effigie diuinâ honoratus est; at puluere tamen terreno complicatus est; quo edocetur, vt erga omnes seruet æqualitatem. *Paræn. ad Iustinianum, Imp.*

Gregorius Mag. Ad hæc, potestas super omnes homines Imperatori cœlitùs data est, vt Cœlorum via latiùs pateat, & terrenum regnum cœlesti famularetur, *Epist. 91. lib. 2.* Hanc

Ad Lectorem.

Hanc ego Sacrosanctam Maiestatem, quam instituit Deus, *confirmauit* Christus, *& semper reuerita est* Ecclesia Orthodoxa, *ab iniuriâ seditiosorum vindicare conor, rationibus solidis ab ipsâ Naturâ, Iure Gentium, Ciuili, Canonico, verbo Dei, Patrum dictatis, & Scriptis Protestantium petitis adeò verè, candidè, & simpliciter, vt nullius Lectoris Iudicium, aut aduersarij calumniam eximescam. Tu, pie Lector, & subdite fidelis, Vive, vale,*

——Si quid nouisti rectiùs istis,
Candidus imperti, si non his vtere mecum.

ERRATA.

Quas habet iſte liber mendas, mea penna notauit
Maiores: Lector corrige (quæſo) leues.

Pro comitate, *lege* comitatu, *pag.* 56. *pro* vide, *lege* videam, *pag.* 65. *pro* purei, *lege* pueri. *pag.* 67. pro *Becanus*, lege *Bucanus*, pag. 68. pro *corrigat, emendet*, lege *corrigat & emendet*, pag. 92. pro *Omphatius*. lege *Omphalius*, pag. 97.

Quæstionis status. Pag. 1.
Explicatio Terminorum. 3.
Concordia { *Puritanorum.* } 4.
{ *Papistarum.* }

Quatuor Propositiones *D. P.* refutantur.

1. *De excommunicatione Regum.* 6.
2. *De Potestate Inferioris Magistratus.* pag. 14.
3. *De Officio privati.* 61.
4. *De Privata vindicta in casu necessitatis.* pag. 74.

Regia potestas absoluta confirmatur:

A Dictamine Naturæ. 87.
A Iure { *Gentium.* 89.
{ *Civili.* 96.
{ *Canonico.* 99.
Scriptura. 101.
Patribus. 108.
Protestantibus. 111.

Thesis.

Non licet Regi, Iura Regni fundamentalia violanti, resistere.

MVlti hanc Controuersiam nostro sæculo variè tractarunt: Dum *Pontificij*, Romanæ purpuræ; *Puritani*, Ordinibus Regni, & quibusdam in causis concitatæ multitudini; *Protestantes* demùm, soli Deo Regios fasces submittendos contendunt. *Dauid Pareus, Theologus Archi-Palatinus, De Iure Regum pro Serenissimo ac Potentissimo Principe, Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Rege, contra Papalem vsurpationē, aduersus Bellarminum, Becanum, & id genus alios parasitastros*, satis elegantèr *scripsit*, *Anno MDCXII.* Typographus librum illum eidem Serenissimo ac Potentissimo Regi dicauit; in quo turris Pontificiæ fundamenta diruit Bellarmini diluit sophismata, Becani refellit ineptias, & Canonistarum imposturas nervosè retundit. Verùm (ac si lacu

Lemanico labra proluisset) inferiorum Magistratuum in Reges, seu summos Imperatores gladium stringit; & confusæ, inconditæq;. Plebi arma exitiosa non minùs, quàm impia subministrat, idq; plurimis; ex quibus pauca accipitote.

Superioris Magistratus Tyrannis & latrocinia, coerceri debent ab ordinariâ potestate: quæ est in qualibet Politiâ vel Magistratus inferior, vel consensu Populi: hæc Dominus Paræus, quæst. 4. tract. De Potestate Civili, ratione prima. Ego contra Bellarminum, Becanum, Danæum, Paræum, omnesq; adeò *Papatui*, vel *Presbyterio* addictos audactèr assero; Nullum esse *Præsulis Romani, Ordinum Regni*, aut *tumultuantis Populi*, in Reges delinquentes, aut *Iura* (quæ vocant) *fundamentalia* violantes, Imperium. Idq; haud leuibus rationum momentis breuitèr ostendam; vt imbecillioribus, opinionum varietate distractis, aliquid adferam lucis, quâ errorum gurgites, & mendaciorum voragines, (quibus *Papistarum*, & *Puritanorum* scatent opuscula) & eminùs tanquam è speculâ prospicere, & sine periculo, veluti in portu nauigantes, præterire possint.

Primo

Primo autem in loco, ad omnem ambiguitatem præscindēdam quæstionis terminos explicatos dabo. *Regem* voco, *qui supremam habet, & nulli subditam Potestatem. Resistendi* verbo, *omne reclamandi ius*, omnem in *Regiam Maiestatem coitionem* complector. *Violator Iuris fundamentalis*, secundum Theologo-Politicos, est, *qui pacta Reipub. omnia, vel præcipua, pessundat.* Leges verò fundamentales appellant *Puritano-Papistæ*, contractus nescio quos, seu conuentiones conditionales inter Principem, & Plebem in prima Regum inauguratione, iureiurando initos, ac sancitos: quibus violatis, liberum volunt esse, & solutum Populum ab omni in Principes officij, & religionis vinculo; Reges ipso facto nullos, omni Auctoritate exutos. Ac si sacrosancta, & diuinitùs data Maiestas, à Populo fuisset certis legibus accersita, & ab eodem, cùm libuerit, abdicanda. Quam væsaniam luculentèr refutabo, *ex Naturæ dictamine, Iure Gentium, Civili, Canonico, Scripturâ* sacrâ, *Patribus* Orthodoxis, & *Ecclesiæ reformatæ Pastoribus celeberrimis*(qui vt Papatui repudium dixerint, ita in verba

novelli Presbyterii non iurarunt,) cum prius seditiosam Papistarum & Puritanorum in Reges concordiam demonstravero.

Puritano-Papistica Synthesis

Robertus Bellarminus, Cardinalis apprimè doctus, & in controuersiarum enodandis nodis peritissimus, l. 5. de Pontif. hanc Regum coërcendorum potestatem, tantis subtilitatibus involvit, vt Atheus, & Politicus à Carerio audiat. At sub larvâ Mathæi Torti, eam Anglo-Papistis, tanquàm fidei Catholicæ fundamentum imponit. Et tractatu de temporali Pontificis Potestate contra Barclaium, eandem dilucidè, & summariè concludit, multis argumentis ad quatuor capita reductis.

Primò, ab Auctoritate Scriptorũ quorundam Italorum, Gallorum, Hispanorũ, Germanorum, & Anglorum: quorũ primus Gregorius 7°, vltimus Nicholaus Sanderus; ille caput, iste cauda bestiæ illius Apocalypticæ. Secundò à Scripturâ bonâ, intellectâ non benè. Tertiò à rationibus politicis. Postremò ab exemplis.

Lambertus Danæus omnium, qui à parte stant Presbyterij, doctissimus, & in con-

controuersijs enucleandis perspicacissimus; post magnos illos in Pontificios, & Lutheranos labores exantlatos, Politiam Christianam, quasi vltimam stylo imponens manum, iam senex edidit. Cuius Politiæ lib. 3. cap. 6. nobilem hanc (vt appellat) proponit quæstionem, *Vtrum bonâ cõscientiâ possint Christiani viri, & pij subditi Politiam constitutam mutare, & abrogare, & aliam sibi deligere?* Respondet: Quòd *Summus Magistratus, Regni leges fundamentales violans, deturbari possit à pijs subditis; idq; bonâ conscientiâ.* Et lib. 3. c. 6. affirmat; Quod *Iudicium de summo Magistratu, qui muneris fines excedit, aut, quemadmodum decet, suo munere non fungitur, ad Ordines Regni pertinet:* Idq; quadratâ acie, instar phalangis Macedonicæ, communire nititur: primò, à rationibus politicis; secundò, ab auctoritate verbi Dei; tertiò, à Responsis Prudentûm; nempè, *Iohannis Calvini, Brutti Iunij, & Georgij Buchanani*; vltimò ab exemplis; ijsq; cum veterum, videlicet, populi Israelitici, Lacedæmoniorum, Atheniensium, & Romanorum; tum recentiũ, Gallorum nimirùm, Hispanorum, Ger-

manorum, Anglorum, & Scotorum. Et contra Bellarminum, Controv. 3. lib. 5. c. 7. disertè fatetur, *Regem hæreticum deponi debere; verùm id non ab Episcopo Romano, sed ab Ordinibus Regni.*

Dauid Paræus, ab alijs sparsim dicta, congessit summariè, digessit methodicè, & quatuor concluſit propositionibus: apponã singula, ne quid videar subterfugisse.

PROPOSITIO I.

D. P.

Episcopi ac Pastores possunt ac debent Magistratus contumaces, de consensu Ecclesiæ, Satanæ tradere, donec resipiscant.

D. O.

Paucis verbis, non pauci latent errores. *Contumacia* vox forensis est, quam definiunt I. C. *Inobedientiam erga superiorem; quoties quis subditus, iuridice citatus, non venit, non paret, aut illicentiatus recedit.* Magistratus supremus solo Deo minor, homini non subest, contumaciæ reatum incurrere non potest, nec debet. *Quidam rationabiliter dicunt* (inquit Iohannes de Parisijs) *quod non quilibet peccator est materia super quam debet, vel potest cadere cum effectu, Actus clauium, &*

potestas

potestas Iurisdictionis: sed peccator subditus. Et ideò prædicta potestas non habet effectum in peccatore, nisi suppositâ subiectione; quæ facit hominem esse debitam materiam, super quam clauis potest habere actum suum cum effectu. De potest. Regiâ, & Papali, cap. 12.

Rex in suo Regno, Episcopali Iurisdictioni, quatenùs pœnalis, & coercitiua, subiectus non est; sed superior in ordine potestatis: vt disertè affirmat Augustinus: *Medius Moses inter Aaronem & Deum; medius Aaron inter Mosem & Populum, &c.* in Exod. quæst. 10. Episcopi igitur isti, & Pastores supercilioſi, qui Principi diem dicunt, aut dicam impingunt, in Deum impij sunt, cuius ordinationi resistunt; in Regem seditioſi, cuius sublimitati insultant; in Rempublicam perduelles, cuius pacem perturbant. *Non monstrabit* (puto) *Paræus, vbi quispiam Apostolorum Iudex sederit Principum; stetisse lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non Lego, inquit S. Bernardus,* De considerat. lib. 1. cap. 6.

De consensu Ecclesiæ.] Auram proculdubiò captat popularem, Principes Pastorum

rum tẽsuræ, pastores iudicio plebis subjiciendo. Habuerunt Apostoli à Christo, habent Episcopi ab Apostolis potestatẽ clauium: nullâ reseruatâ Ecclesiæ consensione. Augustinus appellat hanc potestatem, *Iudicium Episcopale:* de Corrept. & Grat. cap. 15. & Beza *consensum* hunc, ab Ecclesia constituta, tanquam *iniquum, periculosum, & verbo Dei non consentaneum*, explosit, Epist. 83.

Tradere Satanæ] (Quod impropriè ad excommunicationem trahit.) Potestas fuit extraordinaria Apostolis ad tempus concessa, iuxtà communiorem sententiã Veterũ, & Neotericorum: consulite Ambrosium in 1. Timoth. cap. 1. Chrysostomum in 1. Corinth. c. 5. Homil. 15. Augustinum contra literas Petilian. lib. 2. cap. 10. Hieronymum, Bedam, Theodoretum, Oecumenium, Theophylactum, & Sedulium in 1. Corinth. cap. 5. in illud *Tradere Satanæ.* Quod omnes de afflictione corporali intelligunt; quam non intulerunt Apostoli, *potestate clauium*, sed *virtute miraculosâ*. Quibus addo Neotericos melioris notæ, & sanioris iudicij, Thomã Bilsonum nuper Episcopum Wintonienſem,

Petrum

Petrum Martyrem, Thomam Eraſtum, & Benedictum Aretium: *Mihi perſuaſiſſimũ eſt* (inquit Reuerendus Epiſcopus) *voluiſſe Paulum in iſto ſcelere vindicando, quoddam veſtigium extare eius mirabilis potentiæ, & virtutis, quam à Chriſto acceperit, ad vlciſcendam impietatem, quo tanti facinoris imitatio reliquis in poſterum periculoſa videretur, &c.* de perpetua Eccl. guber. cap. 8. *Apoſtoli* (inquit Petrus Martyr) *cacodæmonas habuere ſibi ſubiectos, & per eos nonnunquam eis licuit, ſontes ad ſuam ſalutem punire: Idcirco quibus donum huiuſmodi non eſt conceſſum, ab eo exercendo abſtinere debent.* Locor. Com. claſſ. 1. cap 8. ſect. 9. *Poteſtas tradendi Satanæ* (vt habet Eraſtus) *quæ Paulo fuit data, neceſſaria ſic non fuit Eccleſiæ, vt eſſet ordinaria poteſtas*, confirm. Theſ. lib. 41. cap. 7. *Tradere Satanæ, erat poteſtas Apoſtolis tradita* (inquit Aretius) *puniendi palàm contumaces, quæ poſtea deſiit.* in 1. Tim. c. 1. A miraculoſa virtute Apoſtolorum ad ordinariam Paſtorum iuriſdictionem, ineptiſſima eſt conſequentia; quod enim extra ordinem ad Apoſtolos ſpectabat, cum Apoſtolis finem accepit. Sed vt demus

mus *traditionem hanc Satanæ*, nihil aliud præter excommunicationem significare, non indè sequetur, licere Pastoribus Supremos Magistratus à consortio subditorum excludere. Præscripta Euangelij de pudefaciendis sceleratis, de vitandis flagitiosis, & corripiendis obstinatis, dū nullus erat in Ecclesia gladio cinctus, ad vindictam malefactorum, non sunt temerè trahenda ad pudorem, desertionem, aut correptionem Magistratus. Nam quę sunt à Prophetis, vel Apostolis generalitèr posita, premi non debent ad eorum euersionem quę specialitèr mandata sunt. Deus in Lege, & Euangelio specialitèr & expresè præscripsit subiectionem, & reuerentiā Magistratibus, etiam vitijs, Tyrannide, & impietate conspurcatis; quales fuisse, de quibus Christus, & Apostoli locuti sunt, negari non potest. Nulla igitur præcepti generalis consequentia aduersus expressum, & speciale de Magistratibus honorandis pręscriptum detorqueri debet; ne faciamus voluntatem diuinam mutabilem, aut sibi ipsi repugnantem: quod dicere nefas esset & blasphemū; credere, nefaria impietas, & hæresis.

Gregorius

Gregorius 7. inaudito exemplo hoc facere præsumpsit, *Parœus Hildebrandino incedit cothurno*, & quod in Regno Pontificio erat turpissimum, ad Ecclesiæ Reformatæ Pastores traducit; quod nunquam fecisset *Ambrosius*, nec fecit quis in Ecclesia Christi *Episcopus sanctus* & *orthodoxus*.

D. P.

Exemplis Prophetarum: *Eliæ, qui impio Achabo: Ieremiæ, qui impio Ioachimo: Iohannis Baptistæ, qui impio Herodi: Ambrosij, qui Theodosio ob iniustam cædem verbo restiterunt, &c.*

D. O.

Elias Regem ab errore reuocauit, populum in veritate confirmauit verbis & miraculis: Regem ob impietatem à consortio populi non exclusit, Populū à subiectione Regis non auertit, *contumacem Satanæ* non *tradidit*, non Abdiam virum bonum, neque alium quempiam à Regis scelerati communione abstinere iussit.

Ieremias Regem *impium* reprehendit, verbo Regi restitisse non lego, neq; credo: de cuius doctrinâ pacificâ & vitâ non seditiosâ, Calvinus in hæc verba, *Ieremias*

non

non tantùm iubet Iudæos patientèr ferre pœnam sibi impositam, sed vult addictos esse Regi Nabuchadnozori: nec tantùm vetat ne sint seditiosi, sed ex animo ita vult esse obsequentes, vt Deus testis sit spontaneæ eorum subiectionis & obedientiæ. Hæc ille in Ierem. cap. 29. v. 7.

Herodes adulter ad petitionem puellę saltatricis, Iohannem decollauit: non latuit Christum innocentia Prophetæ, aut crudelitas Tyranni; Prophetam vi & armis non vindicauit, persequutorem Regno non priuauit, *Satanæ non tradidit*, populum in Tyrannum non animauit, nobis in exemplũ ne peruersis Regibus & malè etiam de Deo sentientibus, obluctemur.

Ambrosius non verbis minitabundis Theodosio restitit, sed placidis hortatus est; *Suadeo* (inquit) *rogo, hortor, admoneo, ego in te contumaciæ causam habeo nullam; sed habeo timoris, offerre non audeo, si voluerit assistere.* Hæc Ambros. de facto suo, Epist. 28.

Qui factum hoc Ambrosij excommunicationem interpretantur, *quatenus excommunicatio Potestatis exterioris & superioris Iurisdictionis actus est*, perperàm faciunt

faciunt contra veritatem & rerum gestarum historiam. Non habuit Ambrosius, quale somniant Puritani, *Presbyterium, pro tribunali Christi erectum, à cuius dominatione, qui Reges exemerit, læsæ diuinæ Christi Maiestatis reus erit*, vt scripsit Beza de Presbyterio, & Excommunicatione, pag. 116. editionis Nortonianæ.

Ambrosius literas non decreuit citatorias aduersus Theodosium, nec mandatarium instruxit qui citaret absentem: præsentem contumaciæ non accusauit, nec iudicialiter condemnauit, excommunicandum fore non decreuit, nec latâ sententiâ excommunicauit, à consortio fidelium (extra cœtum sacrum, & diuinorum solennia) non exclusit: vt paucis factum hoc expediam. Episcopus Imperatorem à Sacris, actu nullo iurisdictionis arcuit; sed publici muneris, & officij sacerdotalis intermissione absentem fecit, qui nec rem diuinam facere, nec Sacramentum administrare voluit, præsente Imperatore. Quod iure suo potuisset quilibet pastor, etiam non Episcopus, si in peccatorem incidisset impœnitentem, vel mysteria sacra manifestâ proteruiâ conculcantem,

tem, iuxta Doctrinam veteris Ecclesiæ secundum Chrysostomum, in Math. Hom. 83. & iuxta sententiam Ecclesiæ huius Anglicanæ apud Bilsonum, seculi nostri Augustinum, in Responsione ad Astanum Cardinalem, parte 3. pag. 366.

At in hoc facto Ambrosius, bonus ille Episcopus, non benè fecit, cuius delictum excusare multi conati sunt, approbare nemo potuit, aut potest pius, aut æqui æstimator. Imperatorem bonum, pium, fidelem, pœnitentem, culpam agnoscentem, idq; publicè, & deprecantem seriò, a Communione precum, ab auditione Verbi, & participatione Sacramenti, abstinere fecit, quod nunquam feciſſet Christus, qui Iudam admisit ad cœtum sacrum, & fratri quotiescunq; conuersus fuerit, remittere mandauit.

Secunda propositio.

D. P.

Subditi non priuati, sed in Magistratu inferiori cõstituti, aduersus Superiorẽ Magistratum, se, & Rempublicam, & Ecclesiam, seu veram Religionem etiam armis defendere iure possunt, his positis conditionibus. D. O.

D. O.

Inferior Magiſtratus in Regno nullam habet Authoritatem niſi a Rege, & ſub Rege; quâ ſi abutatur aduerſus Regem, vel Rempub. ad Regis arbitrium deponitur, & malè adminiſtrati muneris pœnas luit: non è contra. Poteſtas hęc inferioris in ſuperiorem à Deo non eſt ſtabilita, ſed diabolicâ malitiâ, aut humanâ præſumptione introducta, contrà diuinam diſpoſitionem, naturæ ordinem, & juris æquitatem. Vidit Paræus huius Propoſitionis aſperitatem, ideoq; quibuſdam temperamentis eam mitigat.

D. P.

Temperamentum 1.

Cum ſuperior Magiſtratus degenerat in Tyrannum.

D. O.

Hoc non eſt Regibus cauere, ſed publicę calamitati manum admouere, & lectori illudere. Cum degenerat, inquis, in tyrannum. Dic Paræe ſeriò, (quando quod ſacrum eſt eludi non debet) quomodo, & quando degenerat? Qui tibi Tyrannus eſt, mihi fortaſſe Rex erit;

rit; quemq; tu opinaris optimum Principem, ego immaniſſimum tyrannum iurè exiſtimem. Quæſtio igitur erit in hac ſententiarum varietate, an degenerarit? Ais: nego: ſiſti ergo oportet accuſatorem, reum, teſtes, coràm Iudice competenti, qualis in terrâ ſub Deo nullus eſt: nullum eſſe, docet Scriptura; credit Eccleſia; ſuadet Ratio; requirit publica ſalus.

Scriptura: *Omnia quæ voluerit faciet Rex, & ſermo illius poteſtate plenus eſt, nec dicere ei quiſpiam poteſt, Quare ita facis?* Eccles. 8. 3. 4.

" Eccleſia: Nemo, inquit Cyrillus, leges
" Regum impunè reprobat, niſi Reges ipſi,
" in quibus præuaricationis crimen locum
" non habet; Prudenter enim dictum eſt,
" impium eſſe, qui Regi dixerit, iniquè
" agis, in Iohan. lib. 12. cap. 56. hæc ille, iuxta ſenſum Scripturæ, & vnanimem conſenſum Eccleſiæ; quia ſicut Deus ſupremus eſt omnium Dominus, qui omnes iudicat, & à nemine iudicatur; ſic Reges, & Orbis Principes, qui alios corrigunt, & iudicant, à nemine corrigi, vel iudicari poſſunt; niſi à ſolo Deo, cuius ſolius

ſolius poteſtati ſubduntur.

Quod attendens Dauid Rex, adulter & homicida, diuinam orat miſericordiam, Tibi, inquit, ſoli peccaui; nullum enim alium in terra præter te vnum, ſuperiorem agnoſco; præter te Iudicem habeo nullum, qui me ad examen, ſententiam, aut ſceleris pœnas cogere poteſt: vnde Poeta,

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Iouis.

Ratio: Rex eſt Caput corporis Politici; Membra caput nec iudicare debent, quia ſubſunt; nec amputare poſſunt, quia eo facto deſinunt eſſe membra.

Publica ſalus: Rex damnatus coniuratis non cedet, etiamſi vires centuplo maiores habeant, aduocabit Reges omnes circumiacentes, amicos, cognatos, confœderatos, milites conſcribet mercenarios, & illatam iniuriam ferro, flamma, furore vindicabit, & (quod funeſtis ſæpè documentis compertum eſt) Regno amiſſo, Reipub. ruina, miſero ſolatio erit.

Dato non conceſſo, poſſe tyrannum per Magiſtratum inferiorem in ordinem cogi, aut Regno deturbari, ſine Reipub. diſpendio, nec cogitur nec deturbatur. Mors Cæſaris Romanis remedium non fuit, ſed accerſiuit maius malum: perijt Nero, ſed nullo ſucceſſu; proximus annus qui mortem eius ſequebatur, plus ſenſit calamitatis, & maius ſanguinis profluvium, quàm nouem quibus regnauit tyrannicè.

Vnum tyrannum expulerunt Athenienſes, & triginta induxerunt; Roma Reges abdicando, tyrannidem non ſuſtulit, ſed mutauit. Tritum eſt illud ruſtici, *Antigonum effodia:* cum malo domino peior ſucceſſiſſet. Et cui non nota vlceroſi illius fabula? Cum viator hirudines ab vlceribus abigere voluit, clamaſſe fertur, Sine, oh ſine; hæ ſaturæ minùs ſugunt, quibus excuſſis, enatabunt aliæ famelicæ, & mordaciores. Multos exactos, & cæſos tyrannos memorant hiſtoriæ; ſed rarò cum vtilitate publicâ. Eſto tyrannicidium ad bonum publicum; ſtare tamen non poteſt cum bonâ

bonâ conſcientiâ, quia à Deo prohibitum.

In tyranno tres poteſtates concurrunt, Patria, Conjugalis, Herilis: non poſſunt filij patrem abdicare; non vxores maritos deſerere, non ſerui dominum caſtigare, multò minùs poſſunt ſubditi Regem dominio priuare. Fac poſſe tamen, ſi in tyrannum degenerauerit; cum multæ ſint tyrannidum ſpecies, eritne omnium eadem ratio ad condemnationem Regis? vbi ſceleri adæquata non eſt pœna, iniuſta erit, & peioris tyrannidis præuia.

Ignorare non potes, Paræe, triplicem tyrannidis diſtinctionem; alia contra humana iura graſſatur ad priuatum commodum, cum publico damno: alia 2. diuinam violat legem ad Creatoris contumeliam; tertia & humana, & diuina 3 iura conculcat, contra omnem iuſtitiam, & pietatem. Ego confidenter aſſero: omnem tyrannidem, ſiue in Deum, ſiue in hominem impetum faciat, tolerari debere; abrogari non poſſe, donec abrogauerit ille, qui ſolus Regum balthe-

um dissoluit, & præcingit renes eorum. Salomon polygamiâ, & idololatriâ enormiter peccauit, sine maiestatis diminutione, aut Regni amissione. Achabus Nabothum tyrannicè occidit, Prophetas exilio, & morte mulctauit, veram Religionem profligauit, & cultum Baal authoritate stabiliuit; quem nullus ob tyrannidem reprimere præsumpsit inferior Magistratus, aut consensus populi. Fecit illud (fateor) Iehu potestate extrà ordinem cœlitùs datâ, non à legibus permissâ. Quod tunc fieri non potuit, sine cœlesti oracvlo, hodiè sine contemptu numinis, maiestatis contumeliâ, & Reipub. incommodo non fit. Vnde
" Petrus Martyr, Vnum tantùm Iehu contrà dominum suum armauit Deus: quod
" vt peculiare fuit, ita non est in exem-
" plum trahendum. Et post pauca: Certè
" si populo sit fas Regno deijcere iniustè
" imperantes, nulli Principes, aut Reges
" vsquàm tuti erunt; quamvis enim probè
" ac sanctè regant, non tamen populo sa-
" tisfaciunt: Pet. Mart. loc. com. classe 4. c. 20. pag. 965.

Nec

Nec minus differt hoc tuum temperamentum à Ciuili politiâ, quàm à verâ Theologiâ, vt annotauit Bodinus: Si Princeps absolutè supremus est, vt sunt Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Scotiæ, Aethiopiæ, Turciæ, Persiæ, Moschouię, veri Monarchæ; quorum nec potestas in dubium vocatur, nec summum imperium cum subditis partitum est; hoc casu, neq; singulis separatim, neq; omnibus vniuersim fas est contra Principis, seu Monarchæ honorem, vel vitam, siue de facto, siue de iuris ordine aliquid tentare, etiamsi omne quod linguâ nuncupari possit, impietatis, flagitij, & crudelitatis genus perpetrauerit. Nam quod ad Iuris ordinem attinet, subditi nullam habent iurisdictionem in Principem; à quo pendet omnis iubendi potestas, atq; authoritas; quique non solùm magistratibus suis mandatam iudicandi facultatem omnem renunciare potest; sed etiam, quo præsente, omnium Magistratuum, Corporum, Collegiorum, Ordinum, & Communitatum potestas, & Iurisdictio cessat: quemadmodum su-

De Repu. lib. 2. c. 5.

prà diximus, & adhuc ſuo loco dicemus vberiùs. Hæc Bodinus.

D. P.

Temperamentum. 2.

Cum ad manifeſtam Idololatriam atq; blaſphemiam ipſos, vel ſubditos alios vi vult cogere.

D. O.

Chriſtus ſub imperio Tyberij, principatu Herodis, & præſidentiâ Pilati vixit; floruerunt Apoſtoli ſub Caligulâ, Claudio, Nerone, Domitiano, ſub perſecutoribus vixerunt per trecentos annos omnes Chriſtiani. Liberius, Hoſius, Athanaſius, Nazianzenus, Hilarius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hieronimus, & plures alij, vitâ bene actâ, & doctrinâ ſanè tradita rigârunt Eccleſiam mille & amplius annos á partu Virginis, quorum nemo myſterium hoc reſeravit. At ab eorum authoritate negatiuâ, litem tecum, Paræe, conteſtabor nullam. Chriſtus Tiberio, Herodi, Pilato ſe in omnibus (lege diuinâ non prohibitis

hibitis) ſubmiſit, & omnia ſubiectionis officia præſtitit, & Chriſtianos præſtare mandauit. A doctrinâ, & exemplo Chriſti, neq; ad dextram, neq; ad ſiniſtram declinârunt Apoſtoli. Chriſtiani qui Hieroſolymis erant cum Martyrium paſſus eſt Iacobus, fuerunt numero plures, & virtute maiores quàm fuerant perſecutores illius Apoſtoli; ſed propter reuerentiam Dei magis interimi ſe à paucioribus, quàm interimere patiebantur, vt refert Clemens ille Romanus, Recognitionum lib. 1. fol. 9.

Apud ſectam Chriſtianorum (inquit « Tertullianus) occidi licet, occidere non « li et: in Apologet. «

Nemo noſtrùm (inquit Cyprianus) « quando apprehenditur, reluctatur; « quamuis nimius, & copioſus noſter ſit « numerus: ad Demetrianum. «

Milites ſub Iuliano Apoſtatà (inquit « Auguſtinus) diſtinguebant Dominum « æternum à domino temporali; & tamen ſubditi erant propter Dominum « æternum, etiam domino temporali: in « Pſalm. 124.

Quia Deum timeo (inquit Greg. M.) Longobardorum morte me miſcere formido. In epiſt. ad Sabinianum. Quod ad meipſum attinet, Parœe, malim Sanctorum in Reges ad idololatriam trahentes, æmulari obſeruantiam, quàm tuam inſolentiam; & vt hoc malim, monet & mouet lex diuina.

Extat lex contra inſtigantes, & pertrahentes ad idololatriam, & blaſphemiam: Deut. 13. 6. Si tibi voluerit perſuadere frater tuus, filius, filia, vxor, aut amicus, clàm dicens, Eamus & ſeruiamus dijs alienis, &c. De fratre, filio, filia, vxore, amico expreſſa lex eſt; de Patre, Marito, Domino, in lege ne verbum quidem: lex igitur ad illos ſe non extendit; non obligatur ergo filius Patrem, vxor maritum, nec ſervus dominum ad idololatriam aut blaſphemiam pertrahentem, publicæ poteſtati deferre; & quamuis delatio Patris, Mariti, & Domini non ſit expreſſè prohibita; quia tamen Deus dedit legem perfectam, & abſolutam, cui nihil addere licet, nihil detrahere, intelligitur eſſe prohibitum,

quod

quod non eſt expreſſum: maximè autem quia leges pœnales ſunt reſtringendæ, vt habet Toſtatus, in Deut. 13. q. 3. Quod in Patrem, Maritum, Dominum non licet, ſaltem non exigit Deus, in Regem nullatenùs licebit; qui (vt ſupra dictum eſt) Pater Patriæ, Maritus Reipublicæ, & omnium ſubditorum Dominus eſt ſupremus.

Repugnat denique Temperamentum hoc præceptis Euangelicis: Nam ſi beati ſunt qui perſecutionem propter iuſtitiam patiuntur; beati non ſunt qui perſecutionem propter iuſtitiam tolerare nolunt, quia in eo quod non tolerant, ſed in perſecutores inſurgunt, peccati conuincuntur, & peccando damnationem ſibi acquirunt.

D. P.

Temperamentum. 3.

Cum ipſis atrox infertur iniuria.

D. O.

Atrocem iniuriam paſſus eſt Chriſtus, quam Petrus vindicare volens, à Domi-

Domino repreſſus eſt. Atroci iniuria affecerunt Chriſtianos, in Eccleſiâ Primitiuâ, perſecutores: & ſub Conſtantio Imperatore Ariano atrocitatem iniuriæ paſſa eſt fides Catholica. Quæ priori, & puriori ſeculo de vindictâ ne cogitauit
« quidem, teſte Baronio. Hic primùm
« (proh dolor!) dirâ pereiti regnandi cu-
« piditate Chriſtiani Duces in Chriſtia-
« num conſpirârunt Imperatorem. Cum
« olim ne gregarius quidem miles inveniri
« poſſet, qui adverſus Imperatores, licèt
« Ethnicos, & Chriſtianorum quoque per-
« ſecutores à partibus aliquandò ſteterit
inſurgentium Tyrannorum. Hactenus Baronius ad annum Chriſti, 350.

A Chriſto, Chriſtianis, & Catholicis illis didicerunt patientiam ſub Turcica immanitate fideles, & ſub Tyrannide Pontificiâ Proteſtantes.

Dicam, Pareæ, quod ſentio liberè. Atroci afficis iniuriâ Chriſtum, Chriſtianos, humanum genus doctrinâ hac tuâ. Quæ ad coniurationes ciuium, cædes Principum, & Regum proſcriptiones per orbem graſſatur Chriſtianum; ad ruinam

ruinam fidei & ipsius penè interitum Christianitatis.

Vnde Rex Serenissimus Ecclesiæ Anglicanæ sub Christo Caput, Fidei verè Catholicæ Defensor, & veritatis Christianæ assertor, Commentarios tuos igne purgauit. Episcopus Londinensis, omni laude maior, ad bonum Ecclesiæ, Patriæ, & rei literariæ natus, vnà cum Clero suo vniuerso, quæstionem hanc tuam quartam, de Potestate Ciuili, hæreseos, & seditionis damnauit. Quatuor verò tuas propositiones ad calculum reuocatas, non populari trutinâ appendêrunt, sed aurificum staterâ castigauit Senatus Oxoniensis; idq; publico totius Vniuersitatis decreto.

Quid ni vltricibus flammis traderet Rex noster Serenissimus? quid ni sententiâ damnaret Episcopus Orthodoxus? quid ni prorsus eliminarent Musæ Academicæ, quod Christus, Apostoli, Patres, Scholastici, Protestantes & Pontificij moderatiores ad vnum omnes, semper & vbique reprobarunt?

barunt? Do vobis quasi ex aceruo manipulum.

Christus: Ego dico vobis vt non surgatis contra malum, sed ei qui percutit te super mavillam tuam dextram, obverte illi etiam alteram, Matth. 5.39.

Petrus: Hoc cedit gratia, si quis propter conscientiam suffert molestias iniustè a fictus: Quæ enim est gloria si peccantes colaphis cæsi subsistatis? sed si benè agentes & tamen afflicti subsistatis, hoc erit vobis gratiæ apud Deum, 1. Pet. 2.19.

Tertullianus: Vna nox pauculis faculis largitatem vltionis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret, absit vt aut igne humano vindicetur Diuina secta, aut doleat pati in quo probatur: ita ille in Apologetico. Dic Paræe? qui potuit Tertullianus viuere, sub gladio persecutorum sine atroci iniuria?

Nazianzenus: Repressus est Iulianus, Christianorum lachrymis, quas multas multi profuderunt, hoc vnum aduersus persecutorem medicamentum habentes:

habentes: in Iulianum Orat. 1. Remedium aliud habuissent (Pareo Iudice) si Christianis atrocem intulisset iniuriam pessimus omnium Imperator Apostata Iulianus.

Ambrosius: Exigebatur à me vt populum compescerem: referebam meo iure esse vt non excitarem: in Dei manu vt mitigaret, Epist. 33. Tui iuris (Paræe) fuisset popularem excitare vindictam, ob atrocem iniuriã Imperatoris Ariani.

Prosper Aquitanicus: Tolerentur præsentia mala donec veniat beatitudo promissa, sustineantur a fidelibus infideles, & Zizaniorum evulsio differatur. Quantumlibet sæuiant impij, melior est etiam in hoc tempore causa iustorum, qui quanto acrius impetuntur, tanto gloriosius coronantur: Sent. 99 Explica nobis (Paræe) qualis erit impetus impiorum aduersus iustos, sine atroci iniuria? Hebetudo mea hoc capere non potest.

Bernardus: Si totus orbis aduersum me coniuraret, vt quippiã molirer aduersus Regiam Maiestatem, ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere

" fendere temerè non auderem; nec enim
" ignoro vbi legerim, qui potestati resistit,
" Dei ordinationi resistit, Epist. 170. ad
" Regem Lodouicum. Non auderes (Ber-
" narde) ad amouendam iniuriæ atrocita-
tem idq; vniuerso clero illatam? quo-
rum bona omnia inuasit Rex Lodouicus,
& quod peius est, ad emendationem, aut
restitutionem nullus voluit audire ad-
monitiones, vt habet Robertus Gaguī-
nus, lib. 6. Proculdubiò si non errauit
Bernardus, delirat Paræus.

Diuertamur si lubet in scholas, vbi
statim occurret nostras ille Alexander de
Hales, qui de officijs subditorum erga
" principes habet hæc. Mali debent subijci
" propter vitium suæ irrationabilitatis,
" boni vero propter debitum Diuinæ ordi-
" nationis, & vtilitatem suæ purgationis:
" vnde *Ambrosius* super illud, Principes non
" sunt timori, &c. Si bonus est princeps,
" bene operantem non punit, sed diligit; si
" malus vero est, non nocet, sed purgat.
" Non est igitur ad timorem ei qui bene
" operatur, malus vero debet timere, quia
" instituti sunt Principes vt mala puniant;

hæc

hæc ille. part. 3. quæſt. 48. membri 2. articulo 1. Audin' Paræe? poteſtas ſuperioris, licet atrox & iniuſta, non nocet bono, ſed purgat.

Vin' & Aquinatem? Fides Chriſti eſt " Iuſtitię principium & cauſa: & ideo per " fidem Chriſti non tollitur ordo Iuſtitiæ " ſed magis firmatur, ordo autem Iuſtitiæ " requirit vt inferiores ſuis ſuperioribus " obediant, alitèr non poſſet rerum humanarum ſtatus conſeruari, & ideo per fidem Chriſti non excuſantur fideles, quin " Principibus ſecularibus obedire teneantur, 2.2.qu.104.Art.6. Habes Paræe? fides non ſubdit Inferiori ſuperiorem, contra ordinem Iuſtitiæ, nec ſubdito poteſtatem gladij permittit contra principem vllâ de cauſa, quia vergeret ad deſtructionem rerum omnium humanarum poteſtas inordinata.

Turcæ paruerunt olim, & hodiè parẽt Chriſti fideles non ſine atroci iniuria, ſubditi tamen ſunt, & ſemper fuerunt, non propter iram, ſed propter conſcientiam. Et inter Proteſtantes, Lutherus, Melanæthon, Brentius, Cranmerus Cantuarienſis,

tuarienſis, Tindallus, Barneſius, errorem hunc anathematizant aſſertionis huius ratione 7. quibus addo viri principis exemplum illuſtre, Deo acceptabile, Reipublicæ ſalutare, Principi honorificum, quod legas velim Paræe, vt ſapere diſcas apud Berchetum in explicatione Controuerſiæ Gallicanæ cap. 7. & apud Iohannem Seruinum pro libertate Eccleſiæ, & ſtatu Regni, Tomo. 3. monarchiæ Romanæ pagina. 202. narrabo breuiter: Cum in Gallijs poſt lanienam Parienſem, religio reformata quaſi deſerta, & propemodum extincta videbatur (quod fieri non puto potuiſſe ſine atroci iniuria) Rex quidam viribus potens, auri diues, & claſſe nauali formidabilis, cui cum Galliarum Rege intercedebat ſimultas, Legationem ſolennem ad Henricum Nauarræ Regem, & alios Proteſtantes expediuit; Legatis mandatum erat Proteſtantes cum Papiſtis committere, & Henricum principem, qui Bearniæ ſub imperio Regis Chriſtiani viuebat, contra Regem armare, quod omni arte & machinatione conati ſunt. Sed fruſtra. Henricus ſubditus

tus bonus, & tanquam alter Dauid Rex futurus optimus, noluit anteuertere diē Domini; obtulerunt Legati conditiones amplas, lautas, munificas; inter cætera, ingens nummorum copia, summa nimirum trecentorū millium aureorum scutatorū ad præparationē belli in promptu numeranda constabat, & ad continuationem susceptī belli, summa necessaria singulis mensibus erat persoluenda. Henricus Christianus fidelis, Princeps bonus, vxore orbatus, à publica Reipublicæ administratione amotus, & propter quem Rex Protestantes plurimos patriâ expulerat, & Pastores interfecerat (agnoscas velim Paræe verba tui Bucani) Henricus tamen in vnctum Domini manus non misit, aurum noluit, conditiones respuit, & Legatos dimisit, fidei in Deum, fidelitatis in Regem, & animi pacifici in Patriam, testes. Nullum tibi restat Paræe subterfugium, atrox fuit hęc iniuria, tam Magistratui inferiori, quam alijs illata, at quia Henrico defuit legitima potestas (quam tu somnias ordinariam) contra ordinatam à Deo potestatem, maluit ille, iuxta præceptum Christi, atrocem

iniuriam patientèr ferre, quam, ad præscriptum tuum, ordinatæ à Deo potestati resistere.

Hæc est *Paræi*, & semper fuit Religio Protestantium, non inferre, sed pati molestias, bonum malo reponere, & persecutores in potestate constitutos, non vi aut gladio reprimere, sed patientia, amore, & beneuolentia demereri. A qua veritate non abhorrent Pontificij moderatiores, qui Papalis Monarchiæ tyrannidē, & popularem Puritanorum anarchiam auersantur: Vnus erit instar omnium *Gulielmus Barclaius*, in hæc verba:

" Incidunt sæpè causæ propter quas Magistratus iussa capessere non tenemur, vbi scilicet Dei mandatis contraria imperat: nulla tamen potest existere causa, cur iniustam damnationis sententiam exequenti & pœnas obtentu potestatis malitiosus exigenti, obsistamus. Quia ipse à Deo potestatem ordinatam habet; quā si abutitur, legitimis modis, non impressione subditorum, coercendus est. *Et post pauca.* Nihil reo supersit, nisi vt Dei omnipotentis cognitioni causam committat, & eius iudicium expectet: Qui est

Rex

Rex Regum, & Iudicum omnium Iudex; « sententiæ iniquitatem, æternæ iustitiæ « severitate, indubitatè castigabit & cor- « riget. Hæc ille: lib. 3. c. 10.

Atrocis huius tuæ iniuriæ memor esto (Paræe) & resipisce.

D. P.

Temperamentum 4.

Si aliter incolumes fortunis, vitâ, & conscientiâ esse non possint.

D. O.

O cæcam Ecclesiam primitiuam! ô cæcos Patres! quibus lux ista noui Euangelij non affulsit. Homines illi (aut falsa est hæc Theologia) ad miseriam nati, errârunt penitùs, qui Martyrij pœnas patienter subire voluerunt, & cum essent numero plures, viribus potiores, noluerunt fortunas à Tyrannis, vitam à persecutoribus, aut fidem ab hæreticis Regibus, vi & armis defendere.

D. P.

Temperamentum. 5.

Ne prætextu Religionis, aut Iustitiæ sua quærant.

D. O.

Subditus cuiuſcunq; conditionis ſit, qui Regi reſiſtit, non ſua quærit, ſed aliena appetit, nec obtinet tamen, niſi prætendat Iuſtitiam aut Religionem. Lucifer ipſe homines non decipit, niſi transformatus in Angelum lucis: nec fallit vitium quenquam, niſi ſumat honeſti nomen.

Quid opus (Pareæ) prætextu? Ipſa rebellio, Iuſtitia & Religio eſt; & quo quis perfidiæ aut proditionis peritior, eo iuſtior & ſanctior habetur: vtinam religioſæ huius iuſtitiæ non eſſet ætas hæc noſtra teſtis oculatus. Cogat quis inferior Magiſtratus in ordinem Superiorem, etſi ad Maieſtatis diminutionē; clamabit illicò *Buchananus*; vir (ſiqua fides Conſiſtorianis) Præſtantiſſimus, & ſui ſeculi lumen; factum iuſtum, ſanctum, laude dignum, idq; non in vno loco, ſed ſingulis ferè paginis quatuor librorum, quos (bipedum mendaciſſimus) ad vnius Principis inuidiam, & Regum omnium iniuriam compoſuit. Expediat pugionem Parrius; accipiet protinùs Apoſtolicam benedictionem, ad peccatorum remiſſio-

T B.
L D.

missionem, & animæ salutem. Perfodiat Monachus Regem; mactati Holofernis laude prædicabitur, etiam in Consistorio Papæ.

Approbet perduellis puluerem nitratum ad exitium Regis, & Regni; Martyrum catalogo inseretur. Petat Castellus iugulum Regis, vel dentem frangat; elogio *Iohannis Boucherij*, sub laruâ *Francisci Veronensis Constantini* ad æternitatem nobilitabitur. Quid de Sanctis & Religiosis istis sentiat Pater Iesuita, audite viri Catholici; *Si mortem enaserint, instar magnorum Heroum suspiciuntur; si secùs accidat, grata superis, grata hominibus, hostia cadunt nobili conatu, ad omnem posteritatis memoriam.* Audite etiam--

Nobile par fratrum Puritanorum: *Si mihi legem ferre liceret, suberem Tyrannorum interfectoribus præmia decerni, non ab vniuerso tantum populo, sed à singulis; quemadmodum vulgo fieri solet ijs, qui lupos, aut vrsos occiderunt, aut eorum catulos deprehenderunt: Buchananus* de Iure Regni, pag. 31. *Omnes Ciues patriæ amantes, & qui saluam Rempublicam volunt, debent sese aduersus Summum Magi-*

ſtratum inferiori adiungere, atque ijdem illi (partâ victoria) ſunt in dignitatibus Regni adipiſcendis præferendi cæteris, & ijs imprimis qui ceſſarunt, & illi ſeſe non adiunxerunt; hæc etiam *Danæus* de Politiâ Chriſtianâ, lib. 6. pag. 460. Portenta quis non deteſtatur huiuſmodi? quibus refellendis operâ abutatur ſuâ, qui otio, & literis abundat. Miſſum fac (*Paræe*) prætextum hunc: nullâ, nullâ veræ religionis, aut Iuſtitiæ cauſâ, licet ſubdito Regi, quamuis Tyranno, reſiſtere, ſine diſpendio legis diuinæ, Euangelij Chriſti, & traditionis veteris Eccleſiæ. Habuit Moſes veræ Iuſtitiæ cauſam, qui fratrem ab Ægyptio vindicauit: habuit Petrus veræ Religionis zelum, qui Dominum ipſum innocentiſſimum, & atrociſſimâ iniuriâ affectum, voluit à manu perſequentium liberare: peccauit tamen Moſes, peccauit & Petrus: *Uterque* (vt verbis vtar *Auguſtini*) *iuſtitiæ regulam exceſſit; Ille fraterno, iſte Dominico amore peccauit:* contra *Fauſtum Manich.* lib. 22. cap. 70.

Quod Moſi olim non licuit pro fratre, quod Petro non licuit pro Domino, & religi-

ligione Christi, hodie nullius licet causâ Religionis, siue sit Romana, siue Reformata; nisi nouo forsan Euangelio orbi Christiano non reuelato. Notum est decretum veteris Concilij Elibertini, *Si quis Idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quia in Euangelio non est scriptum, nec inuenitur ab Apostolis vnquam factum, placuit in numerum eum non recipi Martyrum:* Can.60. Imo prior, & purior Ecclesia Iustitiam, & Religionem hanc angue magis aut cane execrata est. De cuius laude *Augustinus: Ciuitas Christi, quantumvis peregrinaretur in terrâ, & haberet magnorum agmina populorum, & aduersus impios persecutores, pro temporali salute, non pugnauit, sed potius vt obtineret æternam non repugnauit:* de Ciuit. Dei, lib. 22. cap. 6.

Religio vera semper fuit humilis, & Regnorum Conseruatrix; falsa Reges cum Regibus semper commisit, & subditos in superiores armauit: Ex quo appareat veras non esse religiones has, sed pietatis hypocrisi & persona laruatas, eoq; detestabiliores, quo meliore sese auctore iactitant.

Dicam amplius: etiamsi maximè liceret, non expediret tamen: miser enim popellus, dum Scyllam vnius Tyrannidis evitare studet in multarum tyrannidum Charybdin præceps dilabêtur; omnia vastationi & exitio exponentur: Insultabunt nobili gregarius, domino servus, diuiti prædator, ciui peculator, matronæ adulter, virgini stuprator, mercatori pyrata, viatori latro, & colono grassator; erit denique *Homo homini lupus.* Libertas hæc mala ferret legem nullam, lex nulla faciet Rempublic. miserrimam, quum quod lubet cuiq; licebit, sicut in diebus illis, *Cum non erat Rex in Israel.*

D. P.

Temperamentum 6.

Seruata semper εὐσεβείᾳ & moderamine inculpatæ tutelæ iuxta leges.

D. O.

Non est inculpata tutela, sed seditio nefanda superiori resistere: loca Scripturæ contra hanc seditionem adeo clara, & manifesta sunt, vt nullâ tergiuersatione eludi possint, Pro. 20. 22. Rom. 12. 19. 1. Thess. 5. 15. 1. Pet. 3. 9. Quicunq; igitur vim

vim ab ordinatâ poteſtate non mandatã, alicui infert, diuinæ & humanæ maieſtatis læſæ reus erit. His temperamentis rationes annectit, quarum prima.

D. P.

Quia ſuperior Magiſtratus eſt ſubiectus legibus diuinis, & ſuæ Reipub. quod patet Deut.17.Ioſhuæ 1.8.

D. O.

Rex ſubditus eſt diuinis legibus, quis negat? ſubditus eſt etiam legibus Reipublicæ, etſi non eodem modò; legibus diuinis abſolute, & legibus Reipub. non ad coactionem, ſed directionem: vt teſtatur Thomas: *'Princeps dicitur eſſe ſolutus à legibus quoad vim coactiuam legis; quia nullus in eum poteſt ſententiam condemnationis ferre; at quoad vim directiuam, ſolutus non eſt:* 1.2.q.96.ar.5.ad 3.

D. P.

Lex Dei non modo Tyrannidem prohibet, ſed etiam iubet legitimè eam coerceri. Qui ſanguinem hominis effuderit, &c.

D. O.

Prohibet Tyrannidē, & tollit, quando, & quomodo vult, qui Dominus eſt; ad verbum illius exerat gladium Iehu; vbi non

non iubet Deus, recondat enſem Petrus, etiam in cauſâ Chriſti. Nam ſi iniuſſu ſuperioris proſiliat ad arma, protinus audiet, *Qui gladio percutit, gladio peribit.* Non enim vult Deus auferri malum, niſi modo, & medijs legitimis. Licèt igitur, æquum ſit, Tyrannos dare pœnas; ſubditos irrogare, iniquiſſimùm eſt. Deus contra Pharaonem, ranam, muſcam, locuſtã, grandinem, aliaſq; id genus plagas induxit, non ſubditos excitauit. Contra Reges Iudæ, & Iſraelis, militem externum inſtruxit, non ciues armauit. Locum Gen. 9. 6. in eundem ſenſum detorſit olim Feuardentius, quem hodiè ſequitur, fide non bonâ, Paræus. Non vult enim Dominus, ſanguinem effundi, niſi per hominem auctoritate donatum: vt directè concludit Auguſt. contra Fauſtum Manichæum, lib. 22. cap. 70. In Magiſtratum verò Summum, nemini mortalium data eſt poteſtas, aut iuriſdictio, vt habet Otho Friſingenſis: *Cum enim omni mortali horrendum ſit, incidere in manus Dei viuentis, Regibus tamen, qui nullum, præter ipſum ſupra ſe habent, quem metuant, eò erit horribilius, quò ipſi cæteris poſſint peccare liberiùs:* in Epiſt.

Epiſt. ad Fredericum Ænobarb.

D. P.

Item quia Imperator in Codice teſtatur, ſe, contra ius nolle vt ſua decreta in iudicijs locum habeant, ſed debere irrita fieri, ſi fortaſſe cognoſcantur à iuſtitiâ diſcedere: & lib. 4. Cap. de lege Princip. Adeo digna vox eſt Maieſtate Regnantis; legibus alligatũ ſe principem profiteri.

D. O.

Itane verò, quod publicæ pacis, & iuſtitiæ cauſâ condonatur, quod maieſtati detrahitur, in parricidij anſam vertitur? Imperatores, legum authores ſunt, interpretes, & defenſores, quibus ſponte ſe ſubijciant, cogi non poſſunt. Quòd clementia Regis, Prælatis, Proceribus, aut plebi indulget, nec maieſtatem diminuit, nec eis in Principem ius, aut imperium confert. Qui plura deſiderat, conſulat Barclaium contra Monarchom. lib. 3. cap. 15. Apologiam pro Regibus, cap. 24. Saraviam, de imperandi authoritate, lib. 4. cap. 11. & Iohannem Roſſenſem, de vſurpatâ Pontificis poteſtate, lib. 2. cap. 8.

D. P.

Ergo, etiam ſuperioris Magiſtratus Tyrannis,

rannis, ac latrocinia, coërceri debent ab ordinariâ potestate; quæ est in qualibet politiâ, vel Magistratus inferior, vel consensus populi.

D. O.

Tyrannis, & latrocinia, Magistratuum conuitia sunt Theologo indigna, spiritū Prophetarum non redolentia. Perplures fuêre Reges populi Iudaici, & in Ecclesiâ Christi, qui tyrannicè regnârunt, Idola coluerunt, ad Idolomaniam subditos pertraxerunt, & innocentes atroci iniuriâ affecerunt; quorum nemo, in historiâ sacrâ, vel Ecclesiasticâ, aut antiquis Patribus, Tyrannus, aut Latro (dicteria in Constantium si exceperis Luciferi Calaritani) appellatur; vt discamus, Reges, Dei vicem gerentes, licet illâ abutantur potestate, non esse linguâ maledicâ proscindendos. *Facta quippe præpositorum* (inquit Gregorius Magnus) *oris gladio ferienda non sunt; etiam, cum recte reprehendenda iudicantur. Si quando verò contrà eos, vel in minimis, lingua labatur, necesse est, vt per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenùs ad semetipsum redeat, & cùm præpositæ potestati deliquerit, eius contra*

tra se iudicium, à quo sibi prælata est, perhorrescat. Hæc ille pastor. parte 3. adm. 5. fol. 16. Conclusio hæc, ex falsis propositionibus collecta, seditiosa est, & omnis Monarchiæ subuersiua. Si enim, summa coercendi potestas in qualibet politiâ, sit penes inferiorem Magistratum, vel consensum populi; nullus erit in orbe Monarcha. De quo viderint ipsi, *Quos penes arbitrium est & ius, & norma regendi.*

D. P.

Quia inferioris Magistratus, non minùs quam superioris, officium est defendere vitam & salutem subditorum, contra atroces iniurias, & vim iniustam latronum, & tyrannorum, siue externorum, siue domesticorum. Quod probatur, quia de ipsis dicitur. Est minister Dei in bonum, non est terrori bonis operibus, sed malis; gladium non gerit frustrà, est vltor ad iræ, ei, qui quod malum est facit, &c.

D. O.

Paræus, in explicatione textus Gen. 9. 6. sequutus est Fevardentium; hìc, planè Buchananizat, contra sensum Pauli, & vnanimẽ consensum Ecclesiæ. Regum e-

tenim

enim facta, ad pœnam reuocari non poſſunt; quia iudex idoneus in terris nullus eſt eorum: Magiſtratus inferior Superiori ſubeſt, cui perpetrati ſceleris pœnas perſoluit; Superior, ſoli Deo, mortalium nemini tenetur obnoxius; vt veriſſimè *Toſtatus: Si peccâſſet aliquis de Decanis, inquirebant Quinquagenarij; ſi quis ex illis; Centuriones; de Centurionibus inquirebant Tribuni; de Tribunis Septuaginta Seniores; de illis poterat inquirere Moſes; ſi Moſes, ſolum Deum habebat vltorem.* Hæc ille in Num. 25. 9.

D. P.

Item, quia ideo inferiores magiſtratus adduntur ſuperioribus, tum vt ſint ſocij gubernationis, tum etiam, vt horum moderentur immenſam licentiam; ergo, cum iſtam fræuant, vtuntur authoritate & gladio, per legitimam vocationem ſibi diuinitùs tradito.

D. O.

Turpiter hic hallucinatur *Pareus*; cum eorum periculo, qui homini veterano, propter ſingularem eruditionem ita ſunt addicti, vt tutò ſe putent poſſe credere, quicquid affirmauerit, & reijcere, quicquid

quid reiecerit. Huius enim poteſtatis, quam diuinitus traditam aſſerit, nullum in ſacrâ ſcripturâ veſtigium extat. Deus, ordinis politici conſtitutor, & conſeruator, prætenſam hanc poteſtatem nuſquam inſtituit. Deus inquam, non populus, *Moſem, Ioſuam, Iudices* deſignauit, & gladio cinxit. *Moſes* Dei Vicarius, capita tribuum recenſuit, Septuaginta Seniores conſtituit, Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decuriones diſpoſuit, qui ſe, non in gubernatione ſocios *Moſis*, ſed ſubditos ſemper agnouerunt. Et omnes Reges alij, elegerunt ſibi ſemper conſiliarios, & Magiſtratus inferiores, tum ad curam, & ſollicitudinem minuendam, tum vt in rebus arduis tractandis gerendiſq; adiutores haberent; non vt legem ferrent Magiſtratus iſti, Regiæ libertatis moderatricem, vel tyrannidis vltricem. Poteſtatem inferiorem additam eſſe ſuperiori ad vltionem & iram, affirmat, non probat. *Si mandatum non eſt, præſumptio eſt, & ad pœnam proficiet, non ad præmium; quia ad contumeliam pertinet Conditoris,* (inquit Auguſtinus) *vt contempto Domino colantur ſer-*

ui.

ui; & spreto Imperatore, adorentur Comites. Additamentum igitur hoc, ex diametro repugnat sententijs Patrum, & Protestantium; de quibus suo loco; nec non viris doctissimis, qui ætate nostrâ civilẽ politiam scriptis illustrârunt. Consulite *Bodinum* de Repub. lib. 2. cap. 5. Apologiam pro Regibus, cap. 27. *Barclaium* contra Monarch. lib. 3. cap. 6. *Berchettum* in explic. controv. Gallic. cap. 2. *Saraviam* de Imper. author. lib. 2. cap. 36. *Sigonium* de Repub. Iudæor. lib. 7. cap. 3. Qui populo præsunt Magistratus Regi subsunt; ex quo fit, vt neq; populus Magistratui, nec Magistratus Regi, sine sacrilegio resistere queat. Maiorem à minoribus nec iudicari, nec damnari posse, docuit Christus, docuerunt Apostoli, Apostolorum discipuli, omnesq; diuini, & humani iuris interpretes; nec vnquam licuit Pontifici, Nobilitati, vel populo, Regem castigare, antequàm faces *Hildebrandicæ*, ad incendium totius Christianismi, accensæ fuerunt. Dogma igitur hoc novum, & insolens est; cuius nec in Veteri, nec in Novo Testamento, præceptum extat vllum, aut exemplũ probabile. Si quod sit, proferatur,

feratur, & ego me, Patribus, Ieſuitis, & fratribus Puritanis, victum, vinctumq; dedam. Veritatem hanc claram atq; teſtatam reliquerunt ſcriptis, æternùm duraturis, *Thomas Bilſonus* nuper Epiſcopus Winton. de perpetua Eccl. gubernat. cap. 7. & *Petrus Greg. Tholoſ.* de Rep. lib. 5. cap. 3. num. 14. 15. 16.

D. P.

Quorum eſt conſtituere, eorum eſt enormiter graſſantes coercere, aut tollere: cõſtituuntur autem, vel per populi conſenſum, vel per Senatum, vel per Electores, vel per alios Magiſtratus; ergo, hi rectè faciunt cum coercent, aut tollunt.

D. O.

Aſſertio capitalis eſt, quam Imperator nunquàm admittet, Rex non feret, quam Bellarminus ipſe omnium Theologorum conſenſu reprobatam affirmat, vt mihi refutare neceſſe non ſit.

D. P.

Magiſtratus furioſus rectè amouetur authoritate publicâ; vt Nabuchodonoſor ut furioſam beſtiam conuerſus, ab hominum conſortio fuit abiectus. Dan. 4. 31.

D. O.

Abiectio Nabuchodonoſoris fuit extraordinaria: vt ſunt multa in ſacris literis diuinitùs mandata; quæ ſine ſacrilegio ad exemplum trahi non poſſunt: vtcunq; abiectionis modus dubius eſt, & incertus: teſtante Caluino. *Incertum eſt, an Deus furore percuſſerit hunc regem* (verba ſunt Caluini) *ita vt fugam arripuerit, & latuerit aliquo tempore: an verò eiectus fuerit per tumultum, & procerum conſpirationem, vel etiam totius populi conſenſum, hoc dubium eſt: quoniam incognita nobis ſunt hiſtoriæ illius temporis:* Hæc ille. Nec fuit in beſtiam furioſam conuerſus; vt habet idem *Caluinus: Probabile eſt fuiſſe obſtupefactum ita, vt Deus relinqueret illi humanam formam, rationem verò abſtulerit*; hæc *Caluinus* in Dan. cap. 4. 32. Ex facto miraculoſo, & circumſtantijs dubijs, & incertis, certam colligere regulam illius eſt, qui parum habet aceti in pectore.

D. P.

Furioſo ſimilis eſt graſſator & tyrannus atrox.

D. O.

D. O.

Peſſimè comparantur hęc omnia inter ſe. Quilibet priuatus aduerſus latrones, & graſſatores, lege diuinâ, inſtinctu naturæ, & publicâ authoritate armatur. Tyrannus in poteſtate ſublimiori conſtitutus nullis ad pœnam tenetur legibus humanis, tutus Imperij ſublimitate: Vnde *Dauid non neſciuit diuinam traditionem in officio ordinis regalis Saulem* [tyrannum, & nullo non flagitio maculatum] *in eâdem adhuc traditione poſitum, honorificauit, ne Deo iniuriam facere videretur, qui his ordinibus honorem decreuit. Dei enim imaginem habet Rex, ſicut Epiſcopus Chriſti: Quamdiù ergò in eâ traditione eſt, honorandus eſt. Si non propter ſe, vel propter ordinem:* vt habet *Auguſt. Quæſt.* ex veteri Teſtamento, qu. 35. Neq; per omnia eadem eſt ratio tyranni, ac furioſi. Tyrannis ex ſuperbiâ, auaritiâ, crudelitate, ſcelere & innatâ malitiâ prouenit: furor non niſi ex naturâ malè affectâ procedit; leges autem non puniunt morbos, ſed flagitia. *Rectè*, inquit *Paræus, amouetur Magiſtratus furioſus.* Rectè bene vir? Rectum eſt quod normæ conuenit;

hoc omni regulæ repugnat. Lex Christi neminem suo iure priuat; iure gentium regna non virtuti, aut sapientiæ; sed generi deferuntur: leges ciuiles vitium animi regibus obesse nolunt, quò minùs legitimi reges habeantur: quibus curatorem, vel adiutorem, aut administrum Imperij dari præcipiunt, ne ciuium vtilitas, & publica salus sub imperitis gubernatoribus periclitetur. De quibus consulite apologiam pro regibus, cap. 20. *Barclaij* contra Monarch. lib. 5. cap. 9 & *Sarauiam* de Imperandi authoritate, lib. 4. c. 39.

D. P.

Idem exempla laudata confirmant, tam sacra quam profana: Israelitæ per suos iudices sæpe insurrexerunt aduersus vicinos tyrannos, à quibus crudeliter tractabantur.

D. O.

Nihil tam impium, absurdum, aut ineptum proferri potest, cuius non exemplum ex historiâ sacrâ, & prophanâ extruitur: exempla verò hæc *Parei* nihil probant: quia sunt omnia vel dissimilia, vel falsa, vel propriij facti, vel iniusta. Speciatim ex factis Iudicum, extra ordinem à Deo mandatis, colligit istam ordina-

dinariam regulam. Quàm perperàm, discite ab *Augustino* in Iudicum, cap. 20. Huic etiam sophismati occurrit author libri de regimine principum, qui nomine *Thomæ Aquinatis* circumfertur. *Quibusdam*, inquit ille, *visum est, vt ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere; seq; pro libertate multitudinis exponere periculo mortis: cuius rei exemplum in Veteri Testamento habetur. Nam Aioth Eglonem peremit: sed hoc Apostolicæ doctrinæ non congruit; docet enim nos Petrus non bonis tantùm, & modestis, verum etiam dyscolis dominis reuerenter subditos esse; hæc enim est gratia, si propter conscientiam Dei sustineat quis tristitias patiens. Vnde cum multi Romani Imperatores fidem Christi persequerentur tyrannicè, magnaq; multitudo tam nobilium, quam populi esset ad fidem conuersa; non resistendo, sed mortem patiendo laudatur.* è lib. 1. cap. 6.

D. P.

Ezechias rex pius, ab Assyrio tyranno defecit; cumq; bello ab eo peteretur, armis se contrà eum defendit 2. *Reg.* 18.

D. O.

Rex Iudæ regem Assyriæ iusto prælio debellauit: ergo licet inferiori magistratui superiorem principem ob impietatem, phrenesin, aut tyrannidem amouere: conclusio planè tribunitia; non verbis, sed verberibus retundenda.

D. P.

Nec refert quòd hi fuerunt tyranni externi, domestici enim tyranni ab externis nihil differunt; imò sunt magis reprimendi, quia periuri, & nocentiores.

D. O.

Credam ne (*Pareæ*) discrimen nullum esse, quoad officij debitum, inter regem Iudæ, & subiectos regis Assyriæ? non herculè, etiamsi *Pythagoras* esses: nec semper licet in ijs, quæ nocentiora sunt, quod licitum in ijs quæ minùs nocent: Concionatores seditiosi, testante Baptista, progenies sunt viperarum, imò fortè viperis multo nocentiores; quia viperæ non nisi corpori: Concionatores isti animæ, & corpori exitiosi sunt. Ergo vt viperam venenosam quilibet occidere potest: ita cuiuis erit licitum Concionatores tribunitios interimere? Consequentia

tia Iesuitis, & Puritanis fatalis, & pernicioſa. Sed dare abſurdum, non eſt ſoluere argumentum; ideoq; comparationis huius inter domeſticos, & externos tyrannos ineptitudinem demonſtro. Tyrannis quibuſcunq;, qui ſupra nos poteſtatem habent legitimam, parere iubemur, reſiſtere prohibemur. Nam nulla diſtinctio inter principem bonum, & tyrannum malum, quantum ad honoris, reuerentiæ, & obſequij exhibitionem ſpectat, in ſacrâ ſcripturâ reperitur. Aduerſus iſtos igitur gladium ſtringere non licet; quia reſiſtentes, reſiſtunt Deo, & damnationem ſibi acquirunt. Nulla lex diuina, vel humana tyrannos priuatos, graſſatores, vel latrones domeſticos, aut externos nobis præfecit: nullâ igitur obligatione illis aſtringimur; nullum illis obſequium debemus; nullâ imperij reuerentiâ, aut ſubiectionis neceſſitate impedimur; quò minùs eos ferientes feriamus, & illatas ab ijs iniurias repellamus.

D. P.

Sic populus reſiſtit Sauli filium trucidare volenti, 1. Sam. 14. 45. *Ahikam defendit Ieremiam Prophetam contra regem Ioiakim,*

kim, interficere eum volentem. Ier. 26. 24. *Athaliam tyrannum sustulerunt centuriones, & Principes,* 2. Reg. 11. *Machabæi contra tyrannos Macedonicos se, & Rempub. armis tutati sunt, &c.*

D. O.

Populus filium Saulis patris sententia damnatum à morte liberauit, non armis, sed precibus. *Populus Saulem appellat, ipsiusq; conscientiam coram viuente Deo; vt posthabitâ iuramenti ratione, iuris habeat rationem; quasi dicat, an ex iure esset vt vel minimum damnum acciperet, qui (Deum sequutus) tantam populo salutem operatus est?* ita *Tremelius*, & *Iunius* annotat. in locum. Liberauit populus Ionathã ne moreretur; quem Rex, victus populi instantia, non occidit, ita *Greg. Mag.* 1. Reg. cap. 4. Ahikam, sub Rege primarius Magistratus, defendit Prophetam, non à tyrannide Regis, sed à furore populi, vt patet ex textu; manus Ahikam fuit cum Ieremia, ne traderetur in manus populi, vt interficerent eum: manus Ahikam, inquit *Tremelius*, id est, authoritas, & auxilium: fuerat enim Ahikam iamdiù consiliarius in comitate Regis, ac proin-

de

de plurimum authoritate poterat: hæc ille. Aliud est authoritate Regis tumultuantem plebem compescere, aliud populari tumultu contra Regem insurgere: illud est boni viri, & Magistratus fidelis, hoc perduellis, & patriæ proditoris.

De Athalia dicam suo loco.

Machabæi Tyrannis Macedonicis non fuerunt legitimè subditi, ac proindè liberè potuerunt se, & gentem suam contra Tyrannorum incursiones defendere; & illatam ab ijs iniuriam armatâ manu propulsare. Recolite (Iuvenes Academici) vim istarum consequentiarum. Iudices qui (præter ius summi Imperij) habuerunt à Deo speciale mandatum, hostes interfecerunt. Rex Ezekias Regem Assyriæ armis aggressus est. Ionathan (deprecante populo) euasit pœnam mortis. Liberatus est Ieremias manu Ahikæ Regis consiliarij, à furore populi; Machabæi defenderunt gentem suam ab infestatione hostili: Ergo inferior Magistratus potest, ac debet coërcere Regem? Nullus est inter vos tam artis differendi imperitus, vt nesciat consecutiones has nullâ ratione cum antecedentibus cohærere. Putida

ergo

ergo hæc ſophiſinata labem inferunt Pa-
rzo craſſæ inſcitiæ, vel inſignis malitiæ:
ſi fallacias non aduertit talpa eſt; ſin vo-
bis, aut alijs Tyronibus fucum facere,
ſciens, & prudens voluit, maius habet
peccatum.

D. P.

*Thraſybulus 30 tyrannos Athenis eie-
cit, Romani expulerunt Reges flagitioſe reg-
nantes, Conſules abdicare ſeſe Magiſtratu
coegerunt, Neronem & Maximinum ty-
rannos iudicauerunt, & ſuſtulerunt.*

D. O.

Exempla hæc proprij facti ſunt, & ius
non inferunt: & quia diſſimillima ſunt ni-
hil concludunt.

D. P.

*Electores Wenceſlaum Imperio abdica-
uerunt.*

D. O.

Factum illud fateor, iure an iniuria fa-
ctum, viderint alij: dicat, qui poteſt,
quanta ſit authoritas Imperatoriæ Ma-
ieſtatis, aut poteſtas Electoralis digni-
tatis: non me pudet neſcire, qui in rerum
ſacrarum, non Politicarum diſquiſitio-
ne tempus conſumpſi. Factum etiam for-

taſſe

taſſè ad publicum bonum; an ideò imitandum? Aconitum quibuſdam remedio fuit: quod tamen inter ſalubria non numerant Medici.

D. P.

Deniq́, Traianus laudatur apud Dionem, quod præfecto-prætorio gladium tradens, dixit: hoc pro me vtere, ſi iuſta imperauero; contra me, ſi iniuſta.

D. O.

Laudem *Traiani* non ex fonte *Dionis*, ſed ex *Bucani* riuulis hauſit *Parens*. Non enim præfecto-prætorio, ſed militum *Tribuno* enſem illum porrexit *Traianus*, omni laude dignus Imperator, qui propriâ voluntate, non alterius compulſione fecit rem Deo gratam, Ciuibus vtilem, Imperatore dignam. Hęc & ſimilia quæ principes humilitèr de ſe efferunt, beneuolentiam quidem, & amorem ſubditorum ipſis conciliant; ius autem populo, aut Inferioribus Magiſtratibus in ipſos faciunt nullum.

D. P.

Videatur quoq́, iudicium Lutheri, & Theologorum ad I. C. Witebergentium de hac quæſtione, & Martyr Comment. in c. 1. Iud.

D.O.

D. O.

Loquuntur *Lutherus*, & Theologi non de Rege absoluta potestate induto, sed de principibus sub conditione admissis; quod tam scripta *Lutheri*, quam de *Luthero* relatio Sleidani testantur. De Regibus tyrannis, & idololatris sic docuit & scripsit *Lutherus*. *Quid igitur faciendum? erantne Reges Regno eijciendi? aut paranda vis contra eos? non. Non erat parendum ijs.* At patienda extrema, quod exemplum *Danielis*, & suorum coniunctorum ostendit. Hæc *Lutherus* in *Thesauro* articulorum, loco de Magistratu. *Cum Dux Saxoniæ, aliq; Imperij principes* (inquit Sleidanus) *Smalcaldiæ conuenissent deliberaturi de suscipiendâ defensione, contra vim hostilem (si qua forte fieret) priusquam fœdus iniretur, in consilium adhibiti sunt non Iuris consulti modo, sed Theologi quoq;. Lutherus autem semper docuerat magistratui non resistendum. Cum autem in hac deliberatione periti Iuris docuissent, Legibus esse permissum resistere nonnunquam, & nunc in Casum eum, de quo leges inter alia mentionem faciunt, rem esse deductam ostendissent; Lutherus ingenuè profitetur, se nesciuisse*

uisse hoc licere, & quia leges politicas Euangelium non impugnet, aut aboleat, defensionis causa fœdus iniri posse dixit; siue Cæsar ipse, siue quis alius forte Bellum eius nomine faciat. Hactenus *Sleidanus* de Iudicio *Lutheri.* Nec alia mens *Petri Martyris.* Pessimus ic est tractandi authores modus, quod illi de vna specie politiæ scripserunt, ad aliam contra eorum sensum detorquere.

D. P.

Propositio 3.

Subditis mere priuatis sine legitimâ vocatione neq; ad inuadendum Tyrannos ante periculum, neq; ad defendendu se contra eos in periculo, neq; ad vindicandum se post periculum arma capessere licet, si ab ordinariâ potestate defendi possint.

D. O.

Verborum lenocinia hæc sunt ad cladem, & euersionem Rerum publicarum comparata: futilitatem distinctionis subditorum in priuatos, & inferiores magistratus, satis agitatam anteà non reuoluam. Quicunq; subjiciuntur, quocunq; nomine censentur, aduersus superiores non debent incitari, vt Dominis vi & ar-

mis resistant, vel dignitate, aut gradu deturbent, quia inferioris in superiorem potestas nulla est diuinitùs data, aut humanitùs concessa.

Prætextus vocationis legitimæ, ad omnem impietatem, & omnimodam iniustitiam ianuam aperit: facile erit cuiuis vocationem hanc legitimam prætendere, & optimum quemuis principem tyrannidis insimulare: *Corah, Dathan, & Abiram, Mosi* non parcent, infestus erit *Achitophel Dauidi*, *Ieroboam* seruus nequàm deturbabit *Solomonis* filium, *Alexandro* seuero manus inferet violentas furor militaris, imo contra Christum Regem Regum habent *Iudæi* legem iuxta quam debet mori. Da fas esse (*Pareæ*) Tyrannicè regnantes coërcere, quacunq; vocatione Reges nulli tuti erunt. Etsi sanctè vixerint, & iuste gubernauerint, hominibus seditiosis nunquàm satisfacient.

Ordinaria potestas, quam ingerit Paræus, Legi diuinæ, rationi, & naturæ repugnat. Ecquane potestas filij in patrem, licet crudelem? Setui in Dominum, etsi morosum? vxoris in maritum, quamuis durum?

durum? Anne peior conditio Regum? Omnis poteſtas quæ à Deo eſt, *ordinata* eſt, inquit Apoſtolus; ordinaria vero hęc, ordinata non eſt: quæ ſubdit ſuperiorem inferiori, caput corpori, Dominum ſervo, & Regem ſubdito. Rex omnium ſupremus, ſi ſemel ſocium, aut ſuperiorem admiſerit, Rex amplius non erit. Captioſæ huic propoſitioni rationes annectit, quas breuiter percurram.

D. P.

Quia hoc eſſet gladium ſumere à Deo, & legibus non conceſſum.

D. O.

Qui ſumit, ſiue priuatus, ſiue inferior Magiſtratus fuerit, diuinæ & humanæ maieſtatis læſæ pœnas luet.

D. P.

Quia etiam impio Magiſtratui obedire tenentur ſubditi, dum nihil contra Deum facere ab eo coguntur.

D. O.

Non ſatis clarè, & enucleatè proponuntur hæc, quæ duobus modis intelligi poſſunt. Primò non debere ſubditos in iis parere, quæ princeps imperauerit contra Deum. Hoc verum eſſe fateor, de

de quo in eccleſia Dei nulla controuerſia eſt. Secundò populum obedire amplius in alijs quibuſcunq; principi non debere, vbi quid mandauerit obſtinatè contra Deum: quam ſententiam communitèr tenent Ieſuitæ & Puritani, qui omnibus ingenij neruis contendunt, vt ſubditis perſuadeant; Reges, qui Dei legem non obſeruant, vel obſeruantes impediunt, aut perſequuntur; quiq; (vt vno verbo dicam) ad legis diuinæ præſcriptum non imperant, ipſo iure Regnum amittere, & omni honore, dignitate & poteſtate excidere. Cui animus eſt Camarinam hãc mouere, videat *Iohannem Baptiſtam Ficklerum* de iure Magiſtratuum & officio ſubditorum, fol. 15. *Franciſcum Fenardentium* in *Heſter*, pag. 89. *Creſwellum* in *Philopatre*, pag. 194. *Vindicias* contra Tyrannos, quæſt. 3. pag. 189. Tractatum de iure Magiſtratuum, quæſt. 6. pag. 155. & 275. *Lambertum Danæum* de politiâ Chriſtianâ, lib. 3. cap. 6. pag. 221. *Iohannem Althuſium* in politicis, cap. 14. pag. 146. & cap. 15. pag. 195. quorum vaſaniam omnes verè catholici deteſtantur, & ſemper deteſtati ſunt. *Dominium etenim*

nim non fundatur in gratiâ; quod nec bonitas cuiquam conferre potuit, nec malitia adimere poteſt.

D. P.

In quo etiam caſu potiùs moriendum eſt, quàm iniuſtè reſiſtendum: Exemplum Lacedemoniorum, qui cum victores imperarent quæ legibus, & inſtutis eorum aduerſabantur, dixerunt: Si duriora morte imperetis, potius moriemur: *& Ariſtoteles in Ethicis, ſuadet potius mori, quam ferre ad turpia ſe cogi. Lib. 3. cap. 1.*

D. O.

Eloquere, vt te vide: Ecquemne credis eſſe iuſtũ reſiſtẽdi modum inferioris aduerſus ſuperiorẽ? Chriſtus Legiſlator æternus omnẽ gladij euaginationem, extra ordinem poteſtatis, ſimplicitèr damnat. *Paulus*, legis interpres, fidelibus omnem reſiſtentiam vetat *Petrus*, Apoſtolorũ primus, omni creaturæ, ſublimiorem poteſtatem habenti, ſubiectionem mandat; vbi omnia de ſuperioribus propriè dicta ſunt, ſine differentia bonorum aut malorum; & ad omnes inferiores indiſcriminatim, ſine diſcretione Laici, aut Clerici; ordinis, gradus, aut dignitatis; malè igi-

tur distinxit hic *Paræus*, vbi lex diuina nullam admittit distinctionem: Philosophorum monita, & Ethnicorum exempla conducere possunt, ad morum informationem; ad fidelitatis explicationem, & fidei confirmationem, nihil valent: habemus in his firmiorem sermonem Propheticum, & illustriora exempla sanctorum. *Regi*, inquit *Moses*, ne detrahito, *Exod.* 22. 28. *Nolito tangere, inquit, Dauid.* 1. Paralip. 16. 22. *In Regem ne insurgito.* Pro. 30. 31. *Regi nemo dicat, cur ita facis?* Eccles. 8. 3. *Ne in conscientiâ tuâ Regi maledicito.* Eccles. 10. 17. Quoad exempla: *Dauid*, ille insignis propheta, cum in manu haberet *Saulem* Regem, impietatis, tyrannidis, & flagitij reum, noluit tangere. Quo exemplo mortalibus documento esse voluit, Regum pœnas soli Deo permittendas, & nemini mortalium licere, non modò in Principem manùs mittere, sed ne verbo quidem sacrosanctam illius Maiestatem violare. *Elias*, *Achabo*, Religionis hosti, non restitit: sed fugit, & neminem ad rebellionem incitauit. *Isaias* à *Manasse* serrâ dissectus; *Ieremias* carcere inclusus; *Dani-*

el

el leonibus expositus; purei Babylonici in fornacem ardentē coniecti; *Amos* per tempora transfixus; *Zacharias* in vestibulo templi lapidibus obrutus; *Petrus* cruci affixus, capite ad terram verso; *Iacobus* gladio percussus; *Bartholomæus* fustibus cæsus; *Mathæus* capite multatus; *Paulus* decollatus; ne quid dicā de glorioso agmine martyrum, qui Ecclesiam Christi sanctā vitā nobilitārunt, & pretiosa morte propagārunt. Sed quis inter eos popularis tumultus, aut rebellionis auctor? quis huius officij inferiores admonuit Magistratus, aut eorum implorauit auxilium per modum supplicationis, aut prouocationis? quis aduersus persecutores imprecator, aut maledicus? Noluerunt priscæ fidei Christiani. Superiori potestati in defensionem fidelium fratrum sese opponere: Existimauēre enim illi, satius multò esse, vt iusti iniustè, proptèr verā iustitiam paterentur, quàm vt illi magistratibus, licet impiè persequentibus, vim vllam, fucatæ iustitiæ prætextu, inferrent.

D. P.

Exemplo Danidis, nolentis interficere

Tyrannum Saulem etiam cum posset. i. Sam. 24. 26.

D. O.

Etiam cum posset Paræe? id possumus, quod iure possumus: *& iustè potuit*, inquit Becanus, loco 49. sect. 77. noluit tamen. Fuit ergo Dauid hic omnium hominum pessimus, pacis publicæ, & pietatis veræ violator, patriæ hostis, amicorum negligens, & debiti desertor officij; qui vno actu, & nullo penè negotio, Tyranni morte (quem tutò extinguere potuisset, & iustè) Ecclesiam ab errore, Rempublicam à Tyrannide, contribules ab iniuriâ, & semetipsum à persecutione liberasset. Deerant Dauidi dogmatistæ, quales hodie habemus plurimos, tam in Ecclesijs *reformatis*, quàm in Ecclesiâ *Romanâ*, qui illum siue *priuatum, atroci tamen iniuriâ affectum*, siue *inferiorem Magistratum, ordinariâ authoritate instructum*, huius officij admonuissent. A quibus vnum est quod scisciatari velim; num subditis, siue priuatis, siue in Magistratu positis, maius in Regem ius arrogent, aut posse putent, quàm quod Dauid in Saulem habuit, & iurè potuit? Author vindiciarum, Dauidem

dem nihil in Saulem potuisse asserit, ob defectum ordinariæ potestatis: quia non erat ex optimatibus populi; quem Paræus etiam hoc in loco ad sortem plebis, & priuatorum relegat. Quid enim vir pace clarus, bello potens, gener Regis, ad Regnum illud diuinitùs destinatus; qui ingrediebatur, & egrediebatur ante omnem populum, quem vniuersi vnicè diligebant, & præ alijs omnibus colebant, ac reuerebantur; num ille non erat ex optimatibus populi? vnicum hoc exemplum, etsi aliud non extaret in historiâ sacrâ, vel prophanâ, necessariâ consecutione demonstrat, nec priuato cuiquam, neque optimatibus quicquam iuris in Regem esse; quo vel morte mulctent, vel Regno deturbent, vel in ordinem cogant, aut dignitate spolient.

D. P.

Denig, argumenta pro parte negante in-itio adducta, omnia hùc pertinent, atq; hanc tantùm propositionem de officio Christianorum, qui sunt merè priuati, confirmant.

D. O.

Contrà positiones has quas probandas suscepit Paræus, & ad græcas pro-

babit, credo, Calendas; adduxit in principio huius quæstionis, loca quædam sacrarum literarum, viz. Rom. 13. 2. 1. Pet. 2. 19. Math. 5. Rom. 12. 4. & 17. 1. Pet. 3. 9. quæ omnia de merè priuatis intelligi vult. Caluinus quoq; hanc ipsam inuenit euadendi viam: postquàm enim varia præcepta, & exempla ad obedientiam ex vtroq; Testamento congesserat: omnia quasi vno halitu diffat. *De priuatis*, inquit, *semper loquor: Nam si qui sunt populares magistratus, ad moderandam Regum libidinem constituti (quales olim erant Ephori, Tribuni, Demarchi, & quâ fortè potestate, vt nunc res habent, funguntur in singulis Regnis tres ordines, cum primarios conuentus peragunt) adeò illos ferocienti Regum licentiæ pro officio intercedere non veto, vt si Regibus impotenter grassantibus, & humili plebecula insultantibus conniuent, nefariâ perfidiâ non carere affirmem.* Inst. Lib. 4. cap. 20. § 31. Caluinum sequitur Beza; *Non aliud, inquit, remedium proponitur priuatis hominibus Tyranno subiectis, præter vitæ emendationem, & preces, & lachrymas, quas Dominus suo tempore non aspernabitur.* Verùm de popularibus istis

istis officiarijs in hęc verba respõdet, *Superioribus potestatibus (cuiusmodi nunc sunt Septem-viri in Romano Imperio, quos Electores vocant, & Regni status, in omnibus ferè Monarchijs) hoc onus incumbere, vt furentes Tyrannos cohibeant; quod ni faciant, ipsos, vt patriæ proditores, rationem suæ perfidiæ reddituros.* Hactenus Beza in conf. c. 5. p. 171. 172. Bezam subsequitur author Vindiciarum: cuius hæc sunt verba; *Christus quia Regnum ipsius non erat de hoc mundo, in Egyptum fugit, seq; tyrannidi subducit. Paulus, quia singulorum Christianorum, non magistratuum officium describit, vel Neroni ipsi obediendum esse docet.* q. 3. pag. 203. 204. Ab isto, ignoti nominis viro, politiam suam deduxit, Lambertus Danæus; *In Rep. piâ,* (inquit) *Iudicium de summo magistratu nõ ad primatum quempiam in Rspub. virum, non ad vnum duntaxat, aut alterum de iudicibus, magistratibus, aut Principibus Regni; sed ad vniuersos Regni Ordines pertinet, &c.* De politiâ Christianâ, Lib. 6. cap. 3. p. 413. Bucanus funem hunc longiùs protrahit, & quod alij non nisi omnibus coniunctim, ille singulis diuisim attribuit:

Subditi, inquit, *non rectè detrectabunt obedientiam*; *Qui tamen sunt in parte aliquâ administrationis Reipub. participes, vt Custodes, Senatores, Consules, Ordines, vel Tribûs, moderari Principũ impetûs debent:* loco. 49. sect. 76.

Post hunc, anno proximè sequenti, scripsit Iohannes Althusius, vtriusq; Iuris D. quod *Ephori vniuersi Magistratu Summo sunt superiores quatenus repræsentantes populum eius nomine quid agunt; singuli verò separatim isto magistratu sunt inferiores*, de politicis. cap. 14. pag. 142. Et posteà, *Populus magistratum puniendi non habet potestatem; sed soli optimates.* pag. 161. Ab isto distinctionẽ istam fortè emendicauit Pareus, non a Tertulliano, Cypriano, Nazianzeno, Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, aut alio vllo Patrum, primæ vel mediæ ætatis Ecclesiæ. Gregorius, non ille magnus, sed malus Hildebrandus, theologo-politicis nostris hanc facem flammiferã prætulit. Notate, viri Academici, vsurpatæ huius potestatis apud diuersos diuersa nomina. *Calvino*, sunt *populares Magistratus*: Bezæ, *superiores potestates*:

Iunio

Iunio Bruto, *optimates Regni:* Danæo, *Ordines Regni:* Bucano, *publicæ administrationis participes:* Althusio, *Ephori:* Paræo, *inferiores Magistratus.* Tot enim invenio apud Authores meos istius potestatis nomina, quot sunt illius bestiæ, capita, Apoc. 13. 1. Sed missis nominibus, rem ipsam scrutemur. Dixit olim Petrus, *subiecti estote Regi, tanquam supereminenti,* 1. Pet. 2. 13. Phy, Sancte Petre, phy! Non supereminet Rex! inferiores supereminent Magistratus! Regi semper timenda Magistratuum istorum virga censoria ad correctionem, abdicationem, vel mortē, prout ambitiosæ nobilitatis fervor, vel concitatæ multitudinis furor suggesserit. Vt vt res est, tutiùs erit cum Petri spiritu errare, quàm cum istis alitèr sentire. Liceat igitur mihi (Paræe) bonâ cũ tuâ venià, de Ephoris istis illud affirmare, quod de Donato olim scripsit Optatus Mileuitanus: *Cum super Imperatorem non sit nisi solus Deus, qui fecit Imperatorẽ; dum se* Magistratus inferiores *super Imperatorem extollunt, iam quasi hominum excesserunt metas, vt se, vt Deum, æstimarent, non verendo eum, qui post Deum ab homi-*

hominibus timebatur: de schis. Donat. lib. 3. pag. 85. Quod quàm rectè, & è Rep. faciunt, tuam tibi Paræe conscientiam iudicem appello; & ad ultimam tuam propositionem festino.

Propositio 4.

D. P.

Subditis tamen meritè privatis si Tyrannus tanquàm latro, aut spurator in ipsos faciat impetum; & ipsi nec potestatem ordinariam implorare, nec aliâ ratione effugere periculum possint, in præsenti periculo se, & suos contra Tyrannum, sicut contra privatum grassatorem, defendere licet.

D. O.

Portenta hæc sunt; proponi, vel refelli prorsùs indigna; nec Paræum (ætate provectiorem, & doctrinâ insignem) decuit lectori illudere indiscretâ rerum cõfusione, quæ disiunctissimę sunt, & diuerso iure censeri debent. Perfodit hominẽ Chyrurgus; idem, & eodem modo facit prædo; ille salarium, hic demeruit funẽ. Idem aliquando facit Princeps, & eodem modo quod facit grassator; quoties perduellem armatâ manu in ordinem cogit:

Sed

Sed non eodem vtrq; iure; quia Princeps gladium habet ad vindictam, quem vsurpat grassator ad rapinam. Quicunq; ergò dixerit, idem ius competere subdito in Principem punientem, ac viatori in grassatorẽ sæuientem, frontem non habet. At vim alicui infert Princeps, causà non satis iustà, vel idoneà: imò prorsùs iniquâ, & iniustà? viz. *Dauidi*, & Sacerdotibus innocuis *Saul: Uriæ, Dauid: Nabotho, Achab: Zachariæ, Ioas: Isaiæ, Manasses: Christo, Pilatus:* & forsitan Thessalonicensibus. Theodosius. Sub Saule, Dauide, Achabo, Ioà, & Manasse vixerunt sacerdotes, vel Prophetæ sanctitate conspicui, & *numine afflati*: sub Christo Zachæus, & Nicodemus; Magistratus inferiores, pij, rerũ sacrarum, & politicarum peritissimi. Nulla ætas Episcopos, aut Sacerdotes sanctiores tulit, aut magis orthodoxos, quàm sub Theodosio. Nobis tamen hanc euadendæ tyrannidis viam non aperuerunt. Communis omnium Catholicorum sententia est, erit, & semper fuit: prænunciatis Prophetarum, præcepto Christi, doctrinę Apostolorum, & praxi Christianorũ consentanea; Quòd Rex delin-

delinquens ſolum Deum habet vltorem, quem ſolum habuit authorem; cuius nec declinare forum, nec eludere iudicium poteſt. Ab hominibus violari non debet, quamuis in tyrannum degeneret, & poteſtate, quam à Deo accepit, abutatur. Quod cum ita ſit, reſtat, vt reliquum huius nouæ tuæ Theologię perpendam.

D. P.

Quia contra quos licita eſt defenſio per magiſtratum, contra eoſdem eſt licita defenſio priuata in caſu neceſſitatis; cùm ea quæ fit per magiſtratum, haberi non poteſt: quoniam tunc Reges armant etiam priuatos. At in caſu neceſſitatis licita eſt defenſio, per magiſtratum inferiorem contra ſuperiorem; & per ſuperiorem contra inferiorem: Ergo etiam tunc licita eſt defenſio priuata.

D. O.

Antiquum obtinet Paræus: diſcreta, & diſſimilia, ac ſi eadem eſſent, confundit; & diſparium comparatione incautum lectorem in decipulum pellicit. Quæ ſunt ab illo verborum ambagibus inuoluta, enucleatiùs explico. Idem poteſt filius in patrem, quod in ſervum; vxor in maritum, quod in ancillam; Ser-

vus

vus in dominum, quod in vernam; Nauta in nauarchum, quod in Piratam; Subditus in Principem, quod viator in latronem. Qui probauerit, helleboro coronabitur, & ad nauſeam hauriet

Purgantes pectora ſuccos,
Quicquid & in totâ naſcitur Antycirâ.

Quod ſequitur de poteſtate trifurcatâ ſuperioris aduerſus inferiorem, inferioris contra ſuperiorem, & priuatæ vindictæ contra vtramq;, ſuſq; deq; vertitur, & vertigine ſuâ captum excedit meum; nec habeo quod reſpondeam. Habet tamen lex diuina, quæ dictorum, & factorum norma eſt, quam nulli licet tranſilire. De Rege præceptum eſt: *Non interficies eum. Quis extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit?* 1. Sam. 26. 9. Chriſtus Legiſlator æternus, & latæ Legis interpres fidelis; Apoſtoli, quos Chriſtus, ad Chriſtianorum omnium directionem, Spiritus ſancti gratiâ, & iudicij infallibilitate donauit; viri verè Apoſtolici, & chriſtiani omnes, qui ſub decem illis perſecutionibus fide, & charitate orbem vniuerſum illuſtrarunt, & doctrinam Orthodoxam ſanguine obſignârunt:

runt: Christus (inquam) Apostoli, Apostolici: Reges, tyrannide, flagitio, viuicò-burio infames tolerârunt: Nec tolerârunt modò, sed præstiterunt etiam illis omnem honorem, & reuerentiam, & alios omnes indiscriminatim præstare docuerunt verbo, & exemplo; *non propter iram, sed propter conscientiam* coram viuente Deo, qui solus testis est, omni exceptione maior, eorum innocentiæ, & spontaniæ subiectionis. Quod Christus docuit, & fecit, detrectare non debet Christianus: si detrectauerit (etiamsi Angelus esset) anathematis maledictionem incurrit.

Rex præterea Oeconomus est Dei, & dispensator ille magnus; quem Christus constituit super vniuersam familiam suam. Si dispensator ille cœperit (quod in Euangelio malus seruus) Dominum spernere, munus negligere, conseruos percutere, edere, bibere, inebriari: non potest familia vniuersa, non potest Pontifex, non Ordines Regni, non Plebs promiscua, (si in Christi familiâ sunt,) dispensatorem, à Domino constitutum, & omnibus præfectum, amouere: Expectandus est aduentus constituentis, qui solus

ſolus poteſt diſpenſatorem ad rationem vocare, & ad libitum deponere. Fruſtrà igitur (Paræe) occinis; Regum deponendorum medium legitimum. quæſt. 3. pag. 49. cuius nec authorem laudas; nec executorem deſignas; neq; formam determinas. Authorem inquiro in Verbo Dei, non in Commentationibus tuis; quæ ſine teſte, aut ratione fidem merentur nullam. Executorem, non humanâ deſignatione, ſed authoritate diuinâ firmatum, deſidero. *Adulterum, impium, ſacrilegum eſt* (inquit Cyprianus) *quod humanâ præſumptione inſtituitur, vt diſpoſitio diuina violetur.* Quod de *fratribus Regni* inculcas, delirium eſt, & extra cerebellum tuum, nuſquàm extat. Deus huius Anarchiæ author non eſt, nec erit executor homo. Qui ad hominem comparatus, vel ſuperior eſt, vel par, vel inferior: ſuperior nullo modo ſubiacet inferiori; inferior omni modo ſubeſt ſuperiori; par in parem non habet imperium. Vt in hypotheſi res fiat illuſtrior, oculis intuère Politiam Iudaicam, eiuſq; gradus, & ordinem: Decuriones præſunt populo, Quinquagenarij Decurionibus, illis Centuriones,

turiones, quibus imperant Tribuni, Tribunos interrogant ſeptuaginta Seniores, de quibus ſolus iudicat Moſes; qui nec ſingulis diuiſim, nec omnib⁹ coniunctim; ſed ſoli Deo ſubditus erat. *Nullis ipſe* (vt vtar verbis Ambroſij) *legibus tenebatur; quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorũ; neq; enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti Imperij poteſtate*, hæc ille in Pſal. 50.

Ad media quod attinet ipſa; quædam eſſe non diffiteor à Chriſto ordinata; quibus vſi ſunt olim ſancti, ſemper vti debent Chriſtiani; Qualia ſunt, fuga, patientia, preces, & lachrymæ. Fugâ ſaluti ſuæ conſuluit ipſe Chriſtus: patientiâ Martyres ſanctas animas Deo obtulerũt, & Confeſſores fidem integram conſeruârunt. Precibus tyrannos ſemper debellârunt filij Eccleſiæ; quorum ſignifer Ambroſius, & dux exercitus Domini hæc habet; *Repugnare non noui, dolere potero, potero flere, potero gemere: aduerſus arma, milites, Gothos, lachrymæ meæ mea arma ſunt; aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere:* In Oratione aduerſus Auxentium poſt Epiſt. 22. Baſilius Magnus ad pugnam inſtructiſſimus. *Fidem* (inquit) *bonorum amiſſione,*

amissione, exilio, vel morte non prodam. Opes non habeo præter vestem laceram, & paucos libros; terram incolo, quasi semper migraturus; corpus imbecille vnâ acceptâ plagâ sensum doloris, & tormenta superabit: apud Lonicerum in Theatro historico. pag. 154.

Huic adhæret *Chrysostomus* non leuis armaturæ miles: *Cum à Ciuitate fugarer, dicebam intra meipsum: Siquidem vult Regina me exulem agere, agat in exilium: Domini est terra & plenitudo eius. Et si vult secare, secet; idem passus est* Isaias: *Si vult in pelagus me mittere, Ionæ recordabor: si vult in caminum inycere, idem passi sunt tres illi pueri: si me feris vult obijcere, obijciat;* Danielis *in lacum leonibus obiecti, reminiscar: si me lapidare vult, lapidet; socium habeo* Stephanum *protomartyrem: & si caput tollere vult, tollat; habeo socium* Iohannem Baptistam: *& si substantiam auferre, auferat; nudus exiui ex vtero matris meæ, nudus etiam reuertar.* In Epist. ad *Cyriacum.*

Descendat in aream *Bernardus*, pugil planè strenuus: *Quicquid vobis de regno vestro, de animâ, & coronâ vestrâ facere*

placeat; nos Ecclesiæ filij matris iniurias, contemptum, & conculcationem, omnino dissimulare non possumus. Profectò stabimus, & pugnabimus vsq; ad mortem (si ita oportuerit) pro matre nostrâ armis quibus licet, non scutis & gladijs, sed precibus & fletibus ad Deum: Epist. 221. Vix sperârunt illi gloriam in patriâ, nisi per patientiam in via: ideoq; noluerunt esse membra delicata, sub capite spinoso. Aliter cum sapiat *Pareus*, erigat sibi scalam, vt in cœlum solus ascendat.

Sequitur D. P. *ratio secunda.*

Quia sublatâ defensione, siue publicâ, siue priuatâ, contra atrocem sæuitiam Tyrannorum, confirmaretur licentia eorum infinita; quâ palam destrueretur societas ciuilis, & præsertim Ecclesia, quia scelerata pars tolleret meliorem.

D. O.

Ratio hæc secunda, Regibus infesta, subditis infausta, omnibus pacificis odiosa est: quia multitudinem adeò insolentem, & efferatam reddet, vt nec Legibus, nec Regibus, vbi displicuerint, parere velit; semperq; hominibus ad res nouas moliendas, sub prætextu Reipublicæ re-

stauran-

ſtaurandæ, non feneſtram, ſed latiſſimam portam reſerabit. Summi etenim Imperij ablatâ reuerentiâ, & conculcatâ Maieſtate, manus nefariæ cuilibet imminebunt, & eodem fato quo Tyranni, peribunt optimi Reges. Sic in rebus humanis nihil erit ſacroſanctum, aut inuiolatum; vt obſeruarunt veteres & qui in viuis hodiè ſunt, ſentiunt & lugent. Non humanâ prudentiâ, ſed diuinâ prouidentiâ firmatur ſocietas hominum, & conſeruatur communio ſanctorum: vt nullâ Tyrannidis atrocitate deſtrui poſſit. Deus ille noſter, quando vult, & quamdiu vult permittit Tyrannidem, & miniſterium diſponit Tyrannorum ad pœnam impietatis, & probationem fidei: nec minus miſericors eſt, & bonus, cum peccata noſtra flagellat per crudeles Tyrannos, ad animæ interituræ ſalutem; quàm cum beneficia donat per clementes Principes, ad præſentis vitæ ſolamen. Nec poteſt pars ſcelerata tollere meliorem: quoniam Deus non dabit ſanctos ſuos in captionem dentibus eorum: Qui *Vas ſuum in fornacem mittit tribulationis, vt coquatur, non vt frangatur:* & populum Tyrannis

ſubijcit, vt prematur ad emendationem; non vt opprimatur ad exitium. Vnde *Theodoretus, Quoties Tyranni ad gubernacula Reipublicæ ſedent, aut domini crudeles rem familiarem adminiſtrant, piâ precatione, & ſeriâ emendatione morum ira Dei placanda eſt, & petenda mitigatio, præſentium difficultatum & moleſtiarum.* Hæc ille de prouidentia, Orat. 7.

Quod bonum & ſalutare remedium probârunt veteres Chriſtiani: quorum in cruce gloria, in patientiâ triumphus; qui, quamdiu poterant, vitæ munia lubenter obibant; quando non poterant, mortis acerbitatem libenter tulerunt, Deo bono, & Regi non bono ſemper fideles: Deo; Martyrium ſubeundo, ne diuinam offenderent Maieſtatem: Regi; non faciendo quod iubet peccatum, ſed ferendo quam infert pœnam. *Pareus*, remedium præſcribit ipſo morbo deterius: quo velut macellario cultro *Regem à Republica diſſecat membraq, inferiora in caput dominari* contra naturam facit, ſubdendo Supremum Magiſtratum ordinariæ inferioris Magiſtratus poteſtati: & quando hęc poteſtas implorari non poſſit, priuatæ

uatę vindictę tumultuantis populi. Quod remedium nec ante legem Deus instituit, nec in lege sanxit, nec per Prophetas indulsit, nec per Christum reuelauit, nec per Apostolos promulgauit, nec per Patres Catholicos publicauit, nec per Concilia orthodoxa decreuit. Quò magis miror, virum istum non vulgariter doctum, & in Scripturâ sacrâ, antiquis Patribus, atque historiâ Ecclesiasticâ versatum, à lege Dei, Euangelio Christi, doctrinâ Apostolorum, & purioris Ecclesiæ sententiâ, in errorem modernorum Monarchomachorum temerè diuertisse.

D. P.

Sine dubio, lex Dei non ita stabilit Tyrannorum licentiã, vt intereà destruatur societas humana. D. O.

Deus in cœlo sedebit otiosus, nec *Regna terrena*, nec *Ecclesiam sanctam* curabit posthàc; ruant; & pereant omnia, vbi non succurrunt Ordines ambitiosi, vel plebs seditiosa. Quid aliud est hoc, quam brachium carnis, sapientiam mundi, potestatem humanam, (ne dicam Diabolicam) supra Deum, contra diuinam ordinationem erigere, ad pietatis subuersionem,

pacis perniciem, & omnium Rerumpub. miserrimam cladem. Omnes leges diuinitùs datæ, vel humanitùs latæ sunt, vt in Republicà pacificè, & sanctè viuatur, eaq; vitentur, quæ pacem, & sanctitatem impediunt; Fidem tuam Paræe! vtrum melius, tutius, & securius, non sit ad propagationem sanctitatis, & conseruationem pacis, vnius Tyrannidem (sit licet Nerone Neronior) ferre, quàm omnia Reipub. membra, inter se committere, & rerum summam, summis & certissimis obijcere periculis? Non enim tam perditus poterit esse Rex, quin plurimos ex Regni Ordinibus, sibi habeat cõiunctos, & sceleris socios; quorũ ope adiutus, sine cruentis cædibus, & publicà calamitate, in ordinem cogi nequit. Nunquam autem à Rege, licèt crudelissimo, Regnum ita perditum it, sicut in bello intestino contingere plerumq; solet. Quare Deus nullâ ratione magis consuluisse bono publico videtur, quàm præficiendo superiorem inferiori, superiori subdendo inferiorem: vt nemo contrà Regem insurgere præsumat, quem Deus omnibus prætulit, & omnibus prælatum, non humano

exa-

examini reliquit, sed diuino iudicio reseruauit. Impurum igitur in cœlum os ponit, qui Tyranno rerum semel potito, corde, ore, manu, malum meditabitur.

Atq; hæc hactenus de propositionibus Paræi, & earum rationibus; non bonis, non accommodatis; sed infirmis, & friuolis; ad fucum & fraudem, ad Regum, & Regnorum ruinam fabricatis. Ad assertionis meæ confirmationem, de absolutâ Regum potestate, reuertar.

Probè de re inter illos conuenit; de modo litigant Bellarminus, Danæus, & Paræus: nec in cæteris vtriusq; sectæ assectis, contrarium videas. Istis modò insisto tribus, eò quod tanti nominis apud suos sint, vt Bellarmino contradixerit Papistarum nullus, Danæo, & Paræo Puritanorum nemo obstrepuerit: hos proindè noris, omnes noris.

Absolutæ Regiæ potestatis Ratio prima à naturæ dictamine.

Huic Puritano-Papisticę syntheſi reclamat natura: ex quo fonte Imperandi Auctoritas, parendi necessitas; vitę honestas, sceleris turpitudo & pœna; virtutis

amplitudo, & præmium, emanarunt. Et Sapientes illi, quorum prudentiam in legibus ferendis admiratur Antiquitas, bonum à malo, æquum ab iniquo, honestum ab inhonesto discernentes, leges saluberimas promulgarunt. Vndè Basilius Magnus: *Principes vniuersa terræ sancti sunt ob naturæ ipsius proprietatem ad bonum; quæ ijs Imperium præbet.* In Psalm. 44. *In hac* (inquit Cyprianus) *natura omnis consentit: Rex vnus est apibus, Dux vnus in gregibus, & in armentis Rector vnus:* De vanitate Idol.

Sanctus Ambrosius lib. 6. cap. 21. De operibus sex dierum, in apum aluearibus, admirabilem naturæ dispensationem obseruat. *Apes Regem summa protectione defendunt, perire pro Rege pulchrum putant, Rege incolumi non mutant iudicium, non flectunt mentem; amisso Rege fidem seruandi muneris relinquunt; quia ille qui Principatum habuit, interemptus est.* Idem habet Hieronymus lib. 1. epist. 4. relatum caus. 7. quæst. 1. cap. in apibus. *Vadat ad apes Monarchomachus, consideret vias earum, vt discat Deum timere, & Regem honorare.*

A na-

A naturæ dictamine, ad Ius Gentium festino: Ius Gentium appellant Iurisconsulti, *quod apud omnes gentes peræq; custoditur:* vnde Augustinus; *Generale pactum est societatis humanæ, obedire suis Regibus.* Confes.lib.3.cap.8.

Regiæ immunitatis Ratio secunda à Iure Gentium.

Licet antiquorum Regum res gestæ, aut temporum iniuriâ, aut humani generis socordiâ, magnâ ex parte desiderentur: ex ijs tamen, quæ extant historiarum reliquijs liquidissimè constabit, tum omnes gentes Regibus olim paruisse, tum omnes Reges absolutam, & nullis conditionum cancellis circumscriptam auctoritatem exercuisse.

Euolutis omnium gentium Annalibus, nusquàm inuenietur huiusmodi Regibus iniectum frænum; vt Populari arbitrio submitterent fasces; aut à Nobilibus legem acciperent Regiæ iurisdictionis moderatricem. Quod pro Rege Deiotaro coram Cæsare, Iuris & historiarum peritissimo, annotauit Cicero. *Adeò* (inquit Orator) *insolitum est Regem capitis reum esse,*

esse, vt ante hoc tempus non sit auditum.

Artabanus etiam, Prorex Persiæ (non sine scommate Græcorum leuitatem irridens) *Themistocli* illusit: *Vobis Græcis nihil magis curæ esse creditur, quàm libertas, & æqualitas; verùm nos Persæ omnium pulcherrimum & sanctissimum putamus. honorem & reuerentiam præstare Regi, tanquam imagini Dei viui; qui regit & gubernat totum hunc mundum.* Quod *Artabanus* instinctu naturæ, *Augustinus* & alij veteres Spiritus Sancti afflatu tradidêre, quorum dicta suum in locum dilata, plus ponderis sunt habitura.

Quod de Lacedæmonijs, Athenienſibus, & Romanis inculcant Theologo-Politici, merum est delirium. Postquam *Theopompus* vltimus Spartanorum Rex, filio, & futuris ſucceſſoribus apposuisset *Ephoros*, inane fuit nomen Regis inter Lacedæmonios; amissâ penitus authoritate, quam ante *Theopompum* habuerunt Reges omnes absolutam, & liberrimam. Athenienſes, ex quo ſub Regibus esse desierunt, nullum Imperij genus diù tulerunt, præſentis impatientes, nouitatis auidi, tandem Anarchiâ periere.

Po-

Populus Romanus libertatis dulcedine, ad exemplum Græcorum, fascinatus, Regnum in Democratiam mutârunt; & legem de Regibus nunquam reducendis sanxêrunt: verùm bellis externis, & intestinis discordijs serò didicerunt, aliud non esse labentis patriæ remedium, quàm si ab vno regeretur. Dictatorem itaque liberâ potestate, & Imperio creârunt, ab omni dictorum, & factorum reddendâ ratione immunem; à quo nulla prouocatio, & cui quemuis Nobilium, & Patricij ordinis, indictâ causâ, vel in vincula conijcere, vel capite mulctare, permissũ.

Quod de Regni Ordinibus in *Angliâ*, *Galliâ*, & *Scotiâ* comminiscuntur Puritani, aniles non audeo dicere fabulas, cum putida & nuperrimè nata mendacia sint. Quàm enim nostrorum Regum ampla potestas sit, quàm sacrosanêta maiestas, malim ex perenni fonte antiquorum Parliamentorum Regni, & Iuris Anglicani Consultorum apud seculum priùs; quàm ex Politicorum modernorum lacunis stagnantibus haurire. Extat apud *Thomam de Walsingham* Epistola, nomine totius Regni ex Parliamento Lincolniæ habito,

bito, circa annum Domini 1301. ad Romanũ Episcopum inscripta: inquâ Domini Spirituales, & Temporales, cum vniuerso populo, de Regis Anglicani præeminentiâ in hæc, quæ sequuntur, verba Pontificem alloquuntur. *Scimus, Pater Sanctissime, & notorium est, à primâ institutione Regni Angliæ, tam temporibus Britannorum, quàm Anglorum, quòd certum & directum dominium ad Regem pertinuit, neq; Reges Angliæ ex liberâ præeminentiâ Regiæ dignitatis, & consuetudine cunctis temporibus obseruatâ, coram aliquo Iudice Ecclesiastico, vel Seculari responderunt, aut respondere debebant, &c.*

Henricus de Bracton, sub *Henrico* tertio Princeps Iusticiarius Banci Regij (vt nostrates loquuntur) Iuris Anglicani consultissimus, hæc habet; *Sunt sub Rege liberi homines, & serui; & omnis sub eo est, & ipse sub nullo, nisi tantùm sub Deo. Si a Rege petatur (cum Breue non currat contrà Regem) locus erit supplicationi, quod factum suum corrigat, emendet: si non fecerit, satis erit ei ad pœnam, quod Dominum expectet vltorem: de chartis Regijs, & factis Regum, nec priuatæ personæ, nec Iusticiarij*

ciarij debent disputare: hactenus *Bracton*. Citatur in oratione honoratissimi Domini de *Elismer*, Vicecom. Bracley, nuper Angliæ Cancellarij, Iuris Anglicani consultissimi, habita in Camera fiscali, 1609. pag. 108. & à Domino Episcopo *Roffensi*, de vsurpatâ Pontificis potestate, lib. 1. cap. 8.

Quæ fuit Ordinum Gallicanorum, retroactis temporibus, in Reges delinquentes auctoritas, refert *Pasquerius* lib. 1. antiquit. Gallican. *Ludouicus* 11. vrgebat Senatores, & Consiliarios vt alicuius Edicti auctores essent: quod facere recusarunt, quià iniustum videbatur: Rex iracundus, toti Senatui mortem minatus est; *Vacarius* Concilij præses, cum toto Senatu togâ purpureâ sumptâ, ad Regem perrexit: Rex purpurati Senatus aduentu attonitus, rogat quorsum venissent, aut quid vellent? *Vacarius* pro omnibus respondit, *Mortem quærimus, quam nobis minitabundus indixisti: Scito nos, ô Rex, mortem prius oppetituros, quàm vt quid contra conscientiam, aut officium faciamus*: hæc *Pasqueri-us*. Ordines illi non in Regem delinquen-

tem

tem animaduertere, sed ad Regis nutum, & imperium vitam deponere didicerunt. Et in Concilijs generalibus Parisijs celebratis, anno Dom. 1614. propositum fuit; *Nullam esse terrenam potestatem Spiritualem, vel Temporalem, quæ ius aliquod habet in Reges* Franciæ, *ad sacras Regum personas de fastigio dimouendas, vel ad eorum subditos à fidelitate & obedientiâ, quam illis æternùm debent, vllam ob causam vel prætextum exoluendos.*

Cùm in *Ferchardum*, Scotorum Regem sceleratissimum, seditionem machinata esset Scotica Nobilitas, inhibuit *Colmannus* Episcopus, Regemq; coràm admonuit, diuinam vindictam brevi aduenturam: Rex paulò pòst inter venandum vulneratus, & morbo pediculari correptus, exclamauit; Omnia mala illi adueniisse, qui sanctum Episcopum, benè monentem, non audisset. Postea, *Colmanno* consolante, pœnitentiam egit, & pacificè requieuit. Eugè bone, & fidelis Episcope! Populum, & viros principes ab insurrectione reuocas; seditiosos reprimis, Regem coràm admones modestè, liberè tamen; non clàm dicterijs ad

irritan-

irritandam plebem; non Ordinum arbitrio caſtigandum, ſed diuinæ vltioni relinquendum ſuades. Addam legis Regiæ apud Scotos capita quædam, ex *Hectore Boethio*, lib. 12.

In prophanis rebus nemo Ius dicito, niſi quem iuridicundo Maieſtas Regia præfecerit.

Solius Regis nomine ius omne redditor, conuentus indicantor, Concilia conuocantor.

Ne quis aliâ, quam Regis auctoritate, magiſtratum obtineto.

Siquis in alterius quam Regis verba iurauerit, capitale eſto.

Nemo fundum, prædium, agrum, aliâ, quam Regiâ auctoritate, poſſideto.

Siquis cum alio ſocietatem coierit; fidem, & obſequium aduerſus quemlibet profeſſus, capite punitor.

Siquis iniuſſu Regis homines in armis habuerit, morte crimen expiato.

Siquis optimatum alienæ ditionis affinitatem contraxerit, capite luito. Hæc, & huius generis plura apud Boethium.

De alijs Regibus & Regnis viderint quorum intereſt; dummodò nobis contra

tra omnem Papistarum, & Puritanorum machinationem sarta tecta sit Domini nostri Regis Imperialis Celsitudo, quâ nihil sol vidit iustius, doctius, sanctius. *Benedictum nomen Domini, qui diebus nostris, in quibus tot hæreticorum, & schismaticorum scandala oboritura præuidebat, Iacobum in Imperij fastigio collocauit, ad orbis Christiani solamen, fidei verè Catholicæ incrementum, & vnitatis Ecclesiasticæ incolumitatem: & Regia potestas, & Sacerdotalis viget industria.*

Ratio tertia prærogatiuæ ab auctoritate Iuris Ciuilis.

Apud Iuris ciuilis Interpretes vbiq; occurrunt. Imperator [a] mundi Dominus mundum Imperatori subditũ intelligunt iurisperiti. Pet. Greg. l. 6. c. 13. [b] Dei in terris Vicarius, [c] Lex animata, [d] Potestatis plenitudo, [e] Potestas soluta, & [f] absoluta, [g] Disputatio de priuilegio principis, sacrilega, [h] Quod principi placuit, legis habet vigorem, [i] Principis potestas non est coarctanda, [k] Principi, si quid ex potestatis plenitudine fecerit, nemo dicat, *Cur ita facis?*

Baldus a

Baldus [a] C. lib. 4. tit. 42. de Eunuchis: *Imperator punit ſuos ſubiectos vbicunq; delinquentes:* & eſt ratio, quia *eſt de iure Dominus mundi.*

Baldus [b] C. lib. 6. tit. 8. de iure aureorum annulorum: *Licet ſit Vicarius Dei, &c.*

Iacobus Omphatius [c] lib. 1. de officio & poteſt. Princip. c. 10.

Baldus [d] C. lib. 4. tit. 52. de commun. rerum alienat. *Princeps habet plenitudinem poteſtatis.*

Hoſtienſis Sum. l. 1. Rubr. 32. de officio Legati: *Princeps ſolutus eſt legibus, quia nulli ſubeſt, nec ab aliis iudicatur.* Et citat ff. lib. 1. tit. 3. l. 30. vbi eadem verba habentur.

Corſetus Siculus [f] tract. de poteſt. reg. part. 5. numer. 66. *Rex in ſuo regno poteſt omnia, imò de plenitudine poteſtatis.*

Marginiſta [g] in Angelum Peruſinum. C. lib. 9. tit. 29. de crimine ſacrilegij, l. 2. *Qui diſputat de poteſtate Principis, vtrùm bene fecerit, eſt infamis.*

Inſtit. [h] lib. 1. tit. 2. de iure natural. Gentium & ciuili: & Claudius Cantiuncula ibid.

Doctores [i] in l. 3. benè à *Zenone* C. lib. 7. tit. 37. de quadriennij præscriptione. *Coarctare potentiam principalem est eorum, qui nec Maiestatem Imperialem agnoscunt, nec quantum inter priuatam fortunam & regale culmen medium est.*

Baldus [k] C. lib. 7. tit. 50. sententiam rescindi non posse: L. 3. impetrata. *Princeps nulli formæ adstringitur, nec est exquirenda ab eo ratio, Cur ita facis? quia* (vt *Baldus* Decret. lib. 2. tit. 16. vt lite pendente nihil innouetur, in cap. 3. Eccles. num. 7.) *Cum Princeps sit causa causarum, non est de eius potestatis causa inquirendum, cum primæ causæ nulla sit causa.*

Gulielmus Barclaius denique ex *Bartolo, Baldo, Paulo Castrensi, Ludouico Romano, Alexandro, Felino, Alberico,* & alijs infert: *Principem ex certâ scientiâ supra ius, extra ius, & contra ius omnia posse. Principem solum legem constituere vniuersalem. Princeps soli Deo rationem debet. Princeps solutus est legibus: & temerarium est velle, Maiestatem Regiam vllis terminis limitare.* Contra Monarchomach. l. 3. cap. 14.

Plura sunt huius generis apud *Petrum Grego-*

Gregorium Tholosanum de Repub. per totum librum sextum: apud *Adamum Blacuodæum* in Apolog. pro Regibus, cap. 25. & 31. & apud *Adrianum Saravianum* de imperandi authoritate, l. 2. c. 16. & 17. Vnde necessariò sequitur populi imperium esse nullum; Magistratus inferioris authoritatem esse supra populum, sed infra Regem; à quo est, & cui subest: Regiam verò potestatem solutam esse & absolutam. Soluta enim potestas est, quę humano iudicio damnari non potest, nec cogi debet: absoluta verò potestas sub Deo suprema est, ex omni parte perfecta; quæ nec augeri potest, nec diminui debet, sine Diuini Numinis iniuriâ, quod illius author est, & ordinator. Vbi enim est maioritas, ibi est præcipiendi potestas: reliquos manet obsequendi necessitas: vt loquuntur Iuristæ.

Ratio quarta, ex Iure Canonico.

Ex ipso item Iure Canonico multa contra insolens Pontificis supercilium pro Regibus allegantur. Infertur primò, *Principes seculares non subesse Papæ; quoniam Deus seculatia non per Papam sed*

per Imperatores distribuit: dist. 8. cap. Quo iure: *Innocentius* tertius *supremam Regis Francorum auctoritatem agnoscit, quam nec perturbare, nec minuere intendit*: de Iudicijs cap. Nouit. Idem etiam Papa fatetur, *eundem Regem in temporalibus non habere superiorem*. Qui filij sunt legitimi, cap. per venerabilem. *Honorius* tertius præsupponit se idoneum Iudicem de natali Reginæ Cypri: *Iudicium verò de Iure successionis non ad Papam, sed ad Regem pertinere fatetur*: de ordin. cognit. cap. *Tuam, Alexander* 3. De possessionibus quorundam Anglorum, coram eo litigantium, *Noluit cognoscere, ne videretur detrahere iuri Regis Anglorum*. Qui filij sunt legitimi, cap. Causam.

Cui de Iure Priuatorum, quoad terrena, non competit cognitio; de Regnis & Regum coronâ iudicare non debet: & Reges, qui Episcopum Romanum se pro Christi Vicario, & Vniuersali Papâ gerentem, superiorem agnoscere noluerunt, Ordines Regni, aut promiscuam multitudinem, multorum capitum belluam, nunquam sustinebunt. Quid igitur inquies? immensanè erit, & nullis inclusa terminis Regia Maiestas? non

Ponti-

Pontifici? non Proceribus Regni? non multitudini saltem obnoxia? omnino. Rex locum tenet Dei in terris, & cœlitùs auctoritatem habet; Regis æterni personam agit, & imaginem gerit: cui soli factorum, & dictorum rationem reddere tenetur; Imperij Maiestate ab omni humanâ coertione securus. Quod firmissimis rationibus ex Veteri & Nouo Testamento desumptis, euincam.

Ratio quinta à Scriptura sacra.

Quis in Saulem, omni impietate conspurcatum? In Dauidem, adulterij, & homicidij reum? In Salomonem, polygamum, & Idololatram? Quis in alios Reges Iudæ, & Israelis, templum Dei miserè prophanantes, diuinum perditè polluentes cultum, Populum ad idolorum adorationem cateruatim pertrahentes, sanguine Sacerdotum, Prophetarum, Nobilium, omnium innocentum ebrios; omniq; adeò flagitiorum genere inquinatissimos; quis (inquam) Sacerdos summus, quæ Sacerdotum Synodus, Nobilitatis Senat. aut promiscua Plebs, ordinariâ Potestate animaduertit? *Dauid*

Sauli pepercit, & quia panniculum ex eius veſte præſcidit percuſſo corde intimè trepidauit. Ieremias docuit captiuos non in Regem pugnare; ſed pro Rege orare. Aſſuerus Iudæos omnes decreto publico ad ſtatutum diem internecioni deſtinârat; Populus pœnitentiâ, oratione, lachrymis, ieiunio, ſacco, & cinere, non maledictis, non inſidijs, proditionibus, aut armis, ſeipſos muniuere. Mardochæus admonuit Reginam non veneno tyrannum è medio tollere, ſed precibus & ieiunijs ad Deum, & humillima ſupplicatione apud Regem mali impendentis molem auertere. Quod non diffitetur Buchananus, cuius, in ſeditioſo illo de Iure Regum apud Scotos Dialogo, hæc habentur verba; *Iudæorum Reges à ciuibus puniti non ſunt, quia non ab initio à ciuibus creati, ſed a Deo dati fuerunt. Itaq; optimo iure, qui fuit honoris Auctor, idem fuit & pœnarum exactor:* hæc Buchananus.

Verùm cùm hunc nodum expedire non potuit, linguæ mendacis gladio perrumpit; nempè, *Reges Scotorum, non à Deo datos, ſed à Populo creatos; & à Plebe habere, quicquid Iuris ſibi vendicant; Iuſq; idem habere*

bere in Reges multitudinem, quod illi in singulos è multitudine habent. Dic sodes Buchanane; cur non immunes aliarum omnium gentium Reges erunt, atque ac Iudæorum, qui alium præter Deum auctorem non habent, non agnoscunt? Auctor est Moses, *Deum orbis vniuersi creatorem, statim à diluvio, gladium effusi sanguinis vindicem ordinâsse; & seruitutem deriſi Patris pœnam sanciuisse.* In quibus omnes ciuilis Iurisdictionis, & Regiæ potestatis partes Synecdochicôs intelliguntur. Testis & Iob; *Vnum Deum esse qui baltheum Regum dissoluit, & præcingit renes eorum.* De Gentilium, opinor, Regibus loquitur; nondum erat constituta Iudæorum Politia per manum Mosis. *Per me Reges regnant, & Principes iusta decernunt:* inquit Spiritus Sanctus, Prov. 8. *Christus potestatem Pilati calitùs datam testatur. Nullam esse nisi à Deo potestatem scripsit Paulus. Inde Imperator, vndè & homo autequam Imperator*, inquit Tertullianus. *Inde illi potestas vndè & spiritus.* Et vt habet Irænеus, *Ad vtilitatem gentilium terrenum Regnum à Deo positum est. Et cuius iussu homines nascuntur, illius iussu Reges constitun-*

tuuntur. Augustinus verò paulò planiùs & plenius: *Deus solus est qui dat Regna terrena, & bonis, & malis; neque hoc temerè, & quasi fortuito; quia Deus est: sed pro rerum ordine, ac tempore, occulto nobis, notissimo sibi.* Hæc August. de civ. Dei, lib. 4. cap. 33. Multa tamen ex Scripturis (quod semper solent hæretici) contra genuinum sensum comminiscuntur Papistæ & Puritani: quibus tempora vestra non morabor; adeò sunt insipida & insulsa, vt nemini fraudi fuerint, nisi mentis inopi, aut veteris historiæ penitùs ignaro.

De Paræo dixi: Bellarminus, & Danæus insistunt maximè in exemplis decem tribuum, qui à Rege naturali ad seruilis conditionis hominem defecerunt; Lobnensium, & Edomitarum, qui in Ioramũ rebellárunt, & Regum Amasiæ, Oziæ, & Athaliæ. Respondeo: Defectionem decem Tribuum à Rege naturali ad Ieroboamum, Rebellionem Edomitarum, & Lobnensium, & interfectionem Amasiæ ab Hierosolymitanis, rei gestæ veritatẽ, non facti æquitatem continere. *Non ideo* (vt verissimè Augustinus) *quia factum legimus faciendum credamus; ne violemus præ-*

præceptum, dum ſectamur exemplum. In hiſtoriâ Oziæ & Athaliæ nihil video difficultatis, nihil non ad rationis æquitatem, & Legis præſcriptum factitatum. Ozias morbo grauis, publicis Regni negotijs intereſſe non valuit; ob morbi contagionem à turbâ Curialium, & frequentiâ Populi dimouetur; filius intereà loco patris Rempub. adminiſtrauit, ante mortem verò Oziæ, non Regis affectauit nomen, aut arrogauit titulum. Et quod Athaliam ſpectat, Iehoida Summus Sacerdos viris Principibus, & militum centurionibus, quos Hieroſolymis coëgerat, oſtendit Regis defuncti filium ſuperſtitem; quem à furore Athaliæ Regiæ ſobolis interfectricis per ſexennium occultârat. Omnes puerum verum Regem agnoſcunt, agnitum coronant, coronatum Ixto clamore ſalutant, viuat Rex; deinde nec propriâ, nec Sacerdotali Auctoritate; ſed Regis nuper coronati nomine, Athaliam, tanquam læſæ Maieſtatis, & homicidij ream, vi, & armis deturbârunt. Iehoida primas ſubiuit partes, verùm non qua Pontifex, ſed quatenùs tribus Leuiticæ primarius, ætate grandæuus, gan-

gnarus diuinæ legis, prudens impendentium malorum, teneri Regis conſeruator,& proximus agnatus. Lex Dei manu violentâ tangere, linguâ maledicâ proſcindere, corde malitioſo de Regibus cogitare non permittit. Euangelium Chriſti Tyrannis;Petrus,& Paulus perſecutoribus & Chriſtianicidis reſiſtere vetant. Reſpondet Bellarminus, Lege, Euangelio,& præceptis Apoſtolicis teneri Laicos cuiuſcunq; ordinis,& dignitatis, non Epiſcopum Romanum, Chriſti Vicarium, & orbis terrarum vniuerſalem Dominum : vnde nugator nugerrimus,Iouis Capitolini aſſentator, mendax blaſphemus, & amens à Danæo audit. Verùm (inquit Paræus)libro quo ſupra,pag.49. *Papa,& Eccleſia non habent poteſtatem deiiciendi Regem infidelem, quia depoſitio debet fieri ſecundum leges. At leges hanc poteſtatem non concedunt Pontifici,& Eccleſiæ: ſed Fratribus Regni.Et*(vt habet Danæus) *piorum Ordinum intereſt in quauis Rep.peccantes Reges caſtigare,& obſtinatos deponere.* Puritanum ſugillant iterũ Pontificij,à quib° audit Atheus, Politicus,& ſeditioſus.Et hanc Regum caſtigandorũ,

&

& deponendorum Auctoritatem Baronibus, ſeu Regni Paribus, aut multitudini nullatenùs quadrare ſtatuunt, ob defectum coactiuæ Iuriſdictionis, quam vaſſalli (ſic enim loquuntur) non habent in Dominum. Ita Iacobus Anthonius Marta de Iuriſdictione lib. 1. cap. 23. num. 18. Et Carerius de Poteſtate Pontificis, lib. 2. cap. 3. num. 6. Vtrum vultis (viri ornatiſſimi) Regum Iaſciuientium vltorem ac Iudicem, Papam? an Statum popularem? Mihi (vt ingenuè fatear) neuter placet. At vt eorum ineam gratiam, quos non ita pridem irritaui, crabrones: Suppono vtramq; ſententiam eſſe veram, omneſq; Reges, Imperatores, & Supremos Magiſtratus Pontificiæ, & Tribunitiæ Poteſtati obnoxios: Verùm vt ritè damnetur quiſpiam, duo hæc fori ipſius ratio flagitat: meritum criminis, & ordinem Poteſtatis. Dicant velim Puritano-Papiſtæ, vnde hæc Pontificalis, & Popularis poteſtas?

Proculdubiò à Chriſto non eſt: qui Tyberio Cæſari, Imperatori non bono, obedientiam & vectigal præſtitit. Qui Petrum gladio ferocientem reprehendit, en-

enſemq; recondere iuſſit. Non à Paulo, qui omnem animam Poteſtatibus ſublimioribus ſubditam vult. Non à Petro, qui omnes, citra diſcrimen, ſummittit Regi, & ijs, non qui à Populo conſtituuntur, tribunis; aut, a Pontifice emittuntur, Legatis, ſed, qui à Rege ſubſtituuntur, magiſtratibus. Vndè neceſſariò ſequitur, omnem Poteſtatem coactiuam, & dignitatem ſecularem à Rege dimanare; cuius ſacroſanctam Maieſtatem qui violauerit, non tam humanæ, quam diuinæ Maieſtatis læſæ reus erit, & (quod olim Bernardus ad Archiepiſcopum Senonenſem) ego ad Plebem & Nobilitatem; *Omnis anima ſubdita ſit; ſi omnis, & veſtra: Quis vos exemit ab vniuerſitate? qui tentat excipere, conatur decipere; nolito illorum acquieſcere cõſiliis, qui, cum ſint Chriſtiani, Chriſti tamen vel facta ſequi, vel dictis obſequi opprobria ducunt.* Epiſt. 42.

Ratio ſexta ab Auctoritate Patrum.

In Eccleſiâ primæuâ integratâ fide, candidâ, martyrij purpurâ, huius poteſtatis altum eſt ſilentium, maluerunt ſcilicet

licet veteres illi quiduis propter iuſtitiam perpeti, & martyrio coronari, quam vim vi repellendo, aut publicæ auctoritati reſiſtendo, impietatis in Deum, aut perduellionis in Imperatores reos agi.

Iuſtinus Martyr ſubditorum officium deſcribit in Apologiâ pro Chriſtianis ad Antoninum Pium; *Vt Deum verum adoremus, in cæteris rebus, vobis Imperatoribus libenter obtemperemus, quos agnoſcimus Reges, ac Principes, precamurq; vt cum Regni poteſtate, prudentia par communicata, in vobis appareat.*

Tertullianus etiam ad Scapulum Carthaginis Præſidem, *circa Maieſtatem Imperatoris. Infamamur tamen nec, Albiniani, nec Nigriani, vel Caſſiani inueniri potuerunt Chriſtiani. Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedùm Imperatoris: quem ſciens à Deo conſtitui, neceſſe eſt vt ipſum diligat, & reuereatur, & honoret, & ſalvum velit cum toto Romano Imperio. Colimus ergo Imperatorem, vt hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt à Deo conſecutum, ſolo Deo minorem, &c.* Preces, & vota Chriſtianorum pro Imperatoribus Eccleſiam perſequentibus memorat idem Auctor in Apolo-

pologetico. *Christiani manibus expansis quia innocui, capite nudo quia non erubescunt, denique de pectore orant pro omnibus Imperatoribus; vitam illis prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, Populum probum, orbem quietum, & quæcunq; hominis, & Cæsaris vota sunt.* Aliter in Scotiâ orare solebant *Presbyterij fundatores: De sanguine Guisiano liberet nos, Dominus.* Aliter in Anglia *pulverariæ proditionis coniuratissimi machinatores, Gentem auferri perfidam credentium de finibus:* quos helleboro purgandos, non ratione refellendos censeo.

Sanctus *Athanasius* de summo Regum Imperio, hæc habet ad *Antiochum*, quæst. 55. *Sicut in toto mundo Deus Rex est, & Imperator, & potestatem exercet in omnia quæ in cœlo sunt, & quæ in terra: sic etiam Princeps, & Rex constitutus super res terrestres: qui liberâ suâ voluntate facit quod vult, sicut ipse Deus.*

Dies me deficeret, si *Ignatij, Arnobij, Irænei, Lactantij, Ambrosij, Hieronimi, Basilij, Hillarij, Chrysostomi, Nazianzeni, Cyrilli, Optati Milevetani, Leonis* primi,

Ful-

Fulgentij, Gregorij primi, *Bernardi*, & aliorum teſtimonia enumerarem. Vnus inſtar omnium erit *Auguſtinus*, Epiſt. 42. ad fratres Madaur. *Videtis ſimulachrorum templa partim ſine reparatione collapſa, partim diruta, partim clauſa, partim in vſus alios commutata, ipſaq; ſimulachra vel confringi, vel incendi, vel includi, vel deſtrui, atq; ipſas huius ſeculi poteſtates, quæ aliquando pro ſimulachris populum Chriſtianum perſequebantur, victas, & domitas, non à repugnantibus, ſed á morientibus Chriſtianis.*

Ratio ſeptima, ab Auctoritate Proteſtantium.

A Doctrinâ Veteris Eccleſiæ latum vnguem non diſcedunt Proteſtantes. Solennè tamen Papiſtis eſt Eccleſiam à fæce Papiſmi repurgatam, tam defectionis à fide Catholicâ, quàm ſeditionis in Politiâ conſtitutâ accuſare. Audite (Viri Grauiſſimi) ab *Alano* Cardinali communem Papiſtarum calumniam, in reſponſione ad Iuſtitiam Britannicam, c. 4. *Proteſtantes* (inquit Cardinalis) *deſperati ſunt, & factioſi. Quamdiù Principes & le-*

ges

ges habent, voluntati ſuæ indulgentes, proſpero fortunæ ſtatu optimè norunt vti: ſin verò, Principes eorum placitis refragentur, legeſue illis ſint aduerſariæ, mox vincula fidelitatis abrumpunt, Maieſtatem aſpernantur, cædibus, incendijs, & direptionibus vbiq; graſſantur, & ad omnium rerum diuinarum, & humanarum contemptionem præcipites ruunt. Hæc ille. Ad impiam hanc diluendam calumniam, pauca apponam paucorum dicta, vt erubeſcant aduerſarij, qui omnem & hominis pudorem, & numinis reuerentiam, non peritùs excuſſerunt. Presbyterij ſectatores quod attinet, Ieſuitis (quorum imitantur mores) potiùs quàm Proteſtantibus annumero. Deum ſanctè teſtor, me adhuc neminem inueniſſe Idolo addictum Presbyteriano, qui non fuerit Regiæ Maieſtati æquè iniquus, ac dignitati Epiſcopali infeſtus. *Martini Lutheri* ſententiam plurimis explicat *Sleidanus*, Com. lib. 5. ex quibus hæc paucula decerpſi. *Nemo* (inquit *Lutherus*) *qui turbas mouet excuſari poteſt, quamuis habeat iuſtam cauſam: ad Magiſtratum recurrendum eſt, & priuatim nihil tentandum: omnis ſeditio*

pugnat

pugnat cum præcepto Dei, qui illam improbat ac deteſtatur. hæc ille.

Philippus Melanćthon alitèr nec ſapit, nec ſentit. *Quamuis ſit iuris naturalis vim vi depellere, non tamen licet vim à magiſtratu illatam vi depellere. Quamuis videamur promiſiſſe obedientiam hâc conditione ſi legitima imperet Magiſtratus; tamen non ideo licet iniuſtam vim Magiſtratus vi depellere: tametſi Imperia ſint ſcelere acquiſita, & occupata, tamen ordinatio Imperij eſt opus Dei, & bona Dei creatura. Nulla igitur aduerſus Magiſtratum vis ſuſcipienda eſt.* Hæc etiam Melanćthon apud Lutherum, tom. 1. pag. 463.

Brentius ab illis non diſſentit, *Principis imperium* (vt habet Brentius in Reſponſione ad Articulos Ruſticorum) *bifariàm malum eſſe poteſt: primò quando quid mandatur contra fidem: vt Deum abnegare: hic ſit locus dicto Apoſtolico, Deo potiùs obediendum, quam hominibus: nullo modo in Magiſtratum ſæuiat ſubditus; patienter quidvis mali ferat, non repercutiat, ſed quieſcat, & quæuis incommoda potiùs ſuſtineat, quàm vt impijs mandatis ſit morem geſturus. Secundo malum eſſe poteſt Principis*

imperium, quando quid præcipitur contra publicam institiam; cuius generis sunt, bonorum exactio, aut corporis vexatio; subditum in huiusmodi iniurijs obedientia decet: nam si prosiliat ad arma, lata est sententia; qui gladio percutit, gladio peribit. Hactenus Brentius.

Sub Henrico 8. Cranmerus Archiepiscopus Cantuarienſis, vnà cum Episcopis, & insignioribus Regni Theologis, libro de Christiani hominis Institutione, hæc habet: *Si Principes contra quàm ipsorum officium postulat fecerint, non habent in hoc seculo superiores à Deo constitutos Iudices, sed Deo rationem sunt reddituri; qui sibi soli iudicium eorũ reseruauit. Nefas autem subditis est, quantumcunq; mali Principes fuerint, seditionem, aut rebellionẽ excitare; sed. orationibus interpellandus est Deus, in cuius manu Regum corda sunt, vt spiritu suo illustret eos, quò recte ad Dei gloriam, gladio sibi tradito, vtantur.* hæc illi.

Nequis hoc confictum, & ad Regis nutum, & obsequium adblanditum calumpietur, addam aliorum illius ætatis doctissimorum sententias, qui sub cruce persecutionis vixerunt, inter proscriptionis

onis ęstus scripserunt, & propter veritatem Christi, mortem perpessi sunt atrocissimam.

Gulielmus Tindallus religionis nomine exul, & sub Carolo 5. Martyr, librum de Christiani hominis obedientiâ edidit, Anno Regni Hen. 8. 19. Quando Cardinalis Lanionis filius, agnellos Christi ceteruatim ad lanienam ducebat, in quo Regis Auctoritatem, & subditorum officium, ad normã Euangelij describit. *Dauid* (inquit Tindallus) *Sauli pepercit; si occidisset, in Deum peccasset. In quolibet Regno Rex, qui superiorem non habet, de omnibus iudicat: Qui Principi tyranno aut persecutori aliquid molitur calamitatis, aut proteruâ manu tangit vnctum Domini, in Deum rebellis est, & Dei ordinationi resistit. Quoties peccat priuatus, Regi tenetur obnoxius; cum peccat Rex, Diuino examini, & vindictæ reseruari debet. Ac vt non licet, quouis prætextu, Regi resistere; ita nõ licet in Magistratũ surgere, qui à Rege missus est, ad eorum executionem, quæ à Rege mandata sunt.* hæc ille.

Robertus Barnesius ad ignem damnatus, 1541. Tractatu de humanis constitu-

tionibus, ſubditis ſub malis Principibus optimam obediendi formam præſcribit. *Si Rex* (inquit ille) *fidem Chriſti extirpaturus, auditionem verbi, aut ſacramentorum perceptionem, ſub graui damno, aut mortis periculo prohibuerit; Interpellandus eſt Deus fideli precatione, orandus eſt Rex humillimâ ſupplicatione, vt decretum reuocare dignetur: ſi non fecerit, fidelem decet ſubditũ veritati adhærere, & illatam à Rege violentiam patienter ferre: qui fugere non poteſt ingraueſcentem perſecutorem, patienter ferat, bonorum iacturam, membrorum dilacerationem; imò mortem atrociſſimam tolerare debet Chriſtianus, propter veritatem, ad exemplum Chriſti: quicunq; religionis ergò rebellauerit, æternæ damnationis reus erit.* hæc Barneſius.

Qui Mariâ regnante Papatui renunciârunt, & impanatum Deum credere noluerunt, coacti ſunt exquiſitiſſima tormentorum genera ſubire, & poſt multiplices ærumnas, miſerias, carceres, catenas, compedes, famem, ſitim, frigus, aliaq; ſupplicia, ſine modo immenſa, ſine numero infinita, flammis damnati, ſanctas animas hoſtiam Deo gratam obtu-

lerunt:

lerunt: quorũ nemo vel in vitâ ante actâ, vel ad locum ſupplicij ductus, iam iamq; moriturus, ſæuam adeò Maieſtatem aſpernatus eſt; nemo Reginæ (contra fidem publicè datam, ſuum populum, Dei Eccleſiam, vaſtanti) maledixit, obſequium qui detrectauit repertus nullus; imò nullus qui pro eâ ſupplex non orauit. Ita viri Dei, & ſubditi morigeri, inſigne poſteris obedientię & patientiæ exemplum relinquendo, vitam innocentem, ſeditionis puram tranquillè ponendo; non minùs debitum obſequij, quam caſtitatem fidei, vno, eodemq; ſanguine obſignàrunt.

De Proteſtantibus ſub Ferdinando, Maximiliano, & Rodolpho Imperatoribus in Germaniâ, & ſub piæ memoriæ Elizabethâ in Angliâ, non eſt dicendi locus. Dabit, vt ſpero, Deus, & dies. Vnum non poſſum præterire, vnctum à Domino oleo gratiæ ſalutaris, & ſcientiæ ſingularis præ conſortibus vacillantis Eccleſiæ columnam, labantis Reipub. fulcrum, Chriſti contra Antichriſtum, & nouos Arianos pugilem exercitatiſſimũ; Regum contra Papalẽ tyrannidem, Car-

dinalitiam impoſturam, & Puritanos ſeditioſos, Athletam inuictiſſimum, Epiſcopalis dignitatis inſtauratorem, & contra Presbyterij Anarchiam propugnatorem acerrimum, fidei Catholicæ defenſorem, Regem verè pacificum, tractatu aureo de verâ lege liberæ Monarchiæ, pag. 48. *Improbitas regentis non debet Regem illis ſubijcere, quorum ipſe à Deo Iudex conſtitutus eſt: Si non licet priuato contra priuatum aduerſarium iniuriam perſequi, cum Deus ſoli Magiſtratui gladium vindicem permiſit; quanto minus licere credis vel Populo vniuerſo, vel illorum aliquibus vſurpare gladium, cuius nullum ius habent, aduerſus publicum Magiſtratum, cui ſoli permiſſus eſt.* Hæc Rex Sereniſſimus.

Cum Poteſtas Papalis, & Tribunitia Naturę aduerſetur, Iure Gentium, Ciuili, & Canonico improbetur; cum nec in verbo Dei fundamentum, nec ab antiquis Patribus patrocinium, nec apud doctiſſimos à Proteſtantibus hoſpitium impetrare poſſit; ſed vno ore ab omnibus reijciatur, antiquetur, explodatur: audacter affirmo, metum eſſe Papiſtarum & Puritanorum, hominum nimirum ſeditioſo-

oſorum, commentum, Deo inniſum, Regibus infeſtum, ad Reipub. ruinam, & religionis perniciem excogitatum. Itaq; concludo ſecundum Naturæ Dictamen. Ius Gentium, Ciuile, Canonicum, Scripturam Sacram, Patres Orthodoxos, & celeberrimos Eccleſiæ Reformatæ Doctores; *Quod non licet, Regi, Iura Regni Fundamentalia violanti, reſiſtere.*

---

1. Pet. 2. 17.

Perchwch bawb:
Cerwch Gymdeithas brawdol:
Ofnwch Dduw:
Anrryde oddwch y Brenin.

FINIS.